ANDREAE NAUGERII

PATRICII VENETI

ORATORIS ET POETAE CLARISSIMI

OPERA OMNIA

Quae quidem magna adhibita diligentia colligi potuerunt.

CURANTIBUS

JO. ANTONIO J.U.D. ET CAJETANO VULPIIS

BERGOMENSIBUS FRATRIBUS:



PATAVII. CIƆ IƆ CCXVIII.
EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS
VULPIORUM AERE,
ac SUPERIORUM PERMISSU.

Illustrissimis atque Excellentissimis Viris

REI LITERARIAE MODERATORIBUS

HIERONYMO VENERIO

Equiti, ac Aedis D. Marci Procuratori,

FRANCISCO SUPERANTIO

Aedis D. Marci Procuratori,

LAURENTIO THEUPOLO

Equiti, ac Aedis D. Marci Procuratori,

TOTIQUE TRIUMVIRUM LITERARIORUM

ORDINI AMPLISSIMO

Jo. Antonius Vulpius Felicitatem.

SI UMQUAM, pro mandato VOBIS munere, literarum laudi faviſtis, VIRI AMPLISSIMI, non dubito, quin hoc potiſſimum

tempore egregiam in illas voluntatem vestram declaraturi sitis. *Veneti* enim *Senatoris*, praeclare olim de sua REPUBLICA meriti, ejusdemque doctissimi hominis, atque Eloquentiae gloria florentissimi, *Monumenta* ad VOS afferuntur: ad VOS scilicet, qui ex principibus Familiis orti, rebus gestis, probitate, prudentia diu multumque spectati, maximis honoribus perfuncti, summum gradum & dignitatis, & gratiae in Civitate Vestra obtinetis. Is est, de quo loquor, ANDREAS NAUGERIUS, qui dum Patriae commodis inserviret, eamque, propter ejusdem caritatem, reliquisset; in medio aetatis cursu, apud *Franciscum Galliae Regem* legatus occubuit. Ea porro fati acerbitate non solum ipse, a quo summa omnia exspectabantur, magno civium suorum dolore, publicae utilitati ereptus est: verum etiam plurima, quae inchoaverat, scripta (inter quae celebris illa *Rerum Venetarum Historia*) non sine ingenti

genti

genti *Muſarum* luctu, interciderunt. Hujus igitur excellentis Viri ego, meuſque frater & ingenium admirati, & miſerati fortunam, *Omnia* ejus *Opera*, quae uſquam reperiri potuerunt, tamquam ex ardenti rogo ſervata ſpolia, pari fide, ac diligentia collegimus, VOBISQUE, AMPLISSIMI BONARUM ARTIUM PATRONI, inſcribenda eſſe exiſtimavimus. Quibus enim potius NAUGERII *Scripta* commendanda fuerant, quam VOBIS, qui & eamdem quam ille, Patriam ſortiti, & eodem loco nati, &, quod caput rei eſt, in eodem vitae genere gloriaeque curriculo uſque ab adoleſcentia verſati eſtis? Dies me profecto, atque oratio ipſa deficiat, ſi magiſtratus a VOBIS geſtos, ſi difficillimas legationes magno animo ſuſceptas, ſingularique prudentia actas, ſi liberalitatem, ſi conſtantiam veſtram, ſi moderationem in privatis rebus, ſplendorem in publicis, commemorare, ac perſequi velim.

lim.

lim. tantum hoc dicam: quum VOBIS, e reliquis omnibus, PATAVINI GYMNASII GUBERNATIONEM, ſtudiorumque curam, quae graviſſima in recte inſtitututis civitatibus eſſe ſolet, RESPUBLICA VESTRA mandaverit; VOS ab ea ſapientiſſimos, literarumque amantiſſimos certo admodum teſtimonio eſſe judicatos. Qua laude quid praeſtabilius, quid magnificentius excogitari poteſt? Haec una ſcilicet & acceptae a majoribus nobilitati, & exaggeratis opibus longiſſime antecellit: haec una hominum vitam caducam & fragilem, anguſtiſque finibus circumſcriptam, non ſolum praetergreditur, ſed etiam immortalitate donare poteſt. Laetis igitur animis, hilarique vultu, Civem optimum, Scriptoremque elegantiſſimum, a ſinu oblivionis induſtria noſtra vindicatum, novoque cultu ornatum, & auctum, excipere velitis, VIRI AMPLISSIMI: eique VOS longo poſt tem-

pore

pore aequos honores deferre non pigeat, ac olim e *Gallia* redeunti, ſi hoc illi per fatum licuiſſet, Majores Veſtri fuerant delaturi. Simul illud VOS oro, ut me tenuem quidem hominem, ſed tamen pulcherrimarum artium ſtudio acrius inflammatum, noctesque ac dies de earum dignitate cogitantem, in fidem veſtram, & clientelam accipiatis: novamque *Typographiam*, quam domi meae ad optimos cujuſque generis libros edendos inſtitutam habeo, patrocinio veſtro, ac defenſione tueamini. Id ſi feceritis, dignam rem humanitate, auctoritate, atque amplitudine veſtra feceritis. Valete, PATRES AMPLISSIMI, & REIPUBLICAE, ac literarum bono felices diutiſſime vivite.

Patavii III. Nonas Junii. cIɔ Iɔ ccxvii.

LE-

L E C T O R I
B E N E V O L O.

TYPOGRAPHICAM *Artem, quae summo* DEI OPTIMI MAXIMI *beneficio hominum generi concessa est, prima ejus aetate docti admodum, & honesti viri magna industria diligentiaque excoluere. Ab his auctior facta, latiusque per orbem propagata, in eam sensim fortunam devenit, ut a plerisque male omnino haberi, ac patrimonii tantum augendi caussa exerceri ceperit: & idcirco literati homines ab ea deinceps tractanda manus abstinere satius arbitrati sint. Ob id, quae duae res arctissima societate junctae inter se fuerant, scriptores nimirum optimos typis divulgare, & ad ipsorum emendationem non mediocre ingenium, & doctrinam adhibere; eaedem postea disjunctae atque distractae non perinde uberes fructus attulerunt. Quo magis de literis praeclare merentur non pauci ex eruditorum numero apud* Transalpinas *nationes, & in* Italia *quoque nonnulli, qui in id totis viribus incumbunt, ut quae vel ab antiquis, vel a recentioribus sapienter excogitata, eleganterque conscripta sunt, ea in manus hominum accuratissime castigata, magnificeque exornata perveniant. Horum igitur exemplo nos excitati, quamquam nec studiis bonarum artium, nec ingenio, neque ulla alia re cum iis conferendi simus, nulli tamen sumtui parcentes,* Typographiam *domi nostrae instituimus, eique hominem diligentem praefecimus, ad egregios in omni disciplinarum genere libros edendos; praesertim vero ad illorum memoriam*

renovandam, qui sanioris Eloquentiae, atque Eruditionis laude floruerunt. Hanc nostram publicis commodis inserviendi voluntatem a studiosis quibusque, & potissimum ab Italis, *aequi bonique consultum iri speramus; quod si assecuti fuerimus, vitaque, & valetudo suppeditaverint, majore in dies alacritate susceptum opus urgebimus. Specimen igitur diligentiae nostrae praebituri,* ANDREAE NAUGERII, PATRICII VENETI, *quo Scriptore magis elegantem, ac nitidum haud alium facile invenire possis,* Monumenta *undique collecta typis describi curavimus; nihil fere praetermittentes, quod vel ab eo profectum, vel ad ejus nomen, gestaque illustranda utcumque pertinere duceremus. Et nihilominus nonnulla fortasse nos effugerint; id enim est humanae infirmitatis: & quaedam fortasse in abdito latent, quae nulla hactenus inquisitione erui, & in lucem protrahi potuerunt. Utinam ille aliquando illucescat dies, quum plura suavissimi hujus Poëtae* Carmina, *quae apud* Laurentium Pignorium, *doctissimum virum, olim exstabant, ex alicujus Bibliothecae forulis depromantur: tunc enim demum confecta res fuerit. Interim, quantum* Joanni Baptistae Recanato, Patricio Veneto, *debeamus, studiis politioribus mirifice dedito, jamque satis libris editis claro; quantum* Apostolo Zeno, *viro non doctrina minus, quam humanitate spectato, vix est, ut oratione complecti valeamus. Ab his videlicet, opera, consilio, codicibus, perquam benigne adjuti sumus. Non solum autem elegantia, & nitor* NAUGERII *nos impulerunt, ut ab ipso potissimum laboris hujus nostri caperemus exordium; sed praeterea hominis Patria, & Nobilitas cohortata est, quae scilicet liberalium disciplinarum gloriam in illo quodammodo efficit ampliorem. Si enim auspicato res gerenda erat, non aliunde initium ducere oportuit, quam a florentissimae* Venetae Reipublicae,

cujus


cujus Imperio paremus, Cive *optimo, ac sapientissimo*; *qui plurimis etiam eodem loco natis exemplo esse possit, ut majorum suorum vestigiis insistentes, eorum virtutes, & studia ardentius aemulentur. Sed jam, quid in* hac Editione *a nobis praestitum sit, paucis exponere aggrediamur. Circumferebantur uno volumine* Orationes duae, altera in Bartholomaei Liviani, altera in Leonardi Lauretani funere *a* NAUGERIO *habitae*; *nonnulla item* Carmina: *omnia amicorum ejus diligentia posteris conservata. His plura adjicere visum est, quae aut dispersa in libris latebant, aut dissimulato Scriptoris nomine in manibus versabantur. Et primum* Epistolas tres *exhibuimus, lectu sane dignissimas, quas ille* Ciceronis Orationibus opera sua emendatis *apponi curaverat: has proxime* alia *consequitur, qua* Latinae Comoediae *principatus* Terentio *adjudicatur*, Francisco Asulano Typographo *ab* Auctore *afficta, fortasse ut invidiam effugeret*; *quemadmodum* Franciscus Floridus Sabinus, *ob ejusmodi sententiam* NAUGERIO *iniquior*, Henricus *item* Stephanus, *uterque* Plauto *mirum in modum addicti, existimasse videntur. Accedunt* Doctorum aliquot Virorum ad NAUGERIUM Epistolae, *ex quibus, quanto is esset in honore apud excellentes doctrina viros, facile apparet.* Variarum *etiam* Lectionum in omnia Opera P. Ovidii Nasonis *rationem habendam esse duximus*; *in quibus multa passim occurrunt, quae non contemnendam Poëtarum studiosis afferant utilitatem. In his, Lector, videbis* numerorum notas Ovidii carminibus appositas: typorum *quoque* varietate *ad distinctionem usi sumus*; *quod etiam in* propriis nominibus, rebusque insignioribus denotandis *ubique a nobis factum reperies.* Carmina *porro* NAUGERII *nova accessione cumulavimus: addidimus enim ex* Ori-

b 2 gini-

ginibus Patavii Pignorianis *suavissimos* Hendecasyllabos in Vancium vicum Patavinum: *item* Epigrammata duo *ex* Gagnaeji, *atque* Ubaldini carminum collectionibus. *Nihil est autem, quod mirere*, Hieronymi Fracastorii de Poëtica Dialogum *inter* NAUGERII *lucubrationes collocatum: ut enim in* Platonis libris *adhuc antiquissimi illius* Socratis *sapientia vivit, quum ipse de Philosophia literam omnino nullam fecerit; similiter, tot* NAUGERII *scriptis deperditis, quaenam ejus de Poëtarum studiis sententia fuerit, non injucundum fortasse erit e* Fracastorio *cognoscere. Atque haec quidem de* Latinis Monumentis. *Sequuntur nonnulla*, Italica, *qua nunc utimur, lingua conscripta:* Versus *nimirum faciles, arguti, elegantes, ex vetustis libris, ac propemodum ignoratis depromti; quibus* Versiones Epigrammatum aliquot NAUGERII a claris Poëtis *elaboratas addere visum est, in primis vero* quasdam Petri Angelii Bargaei, nondum vulgatas: *tum* Epistolae quinque ad Joannem Baptistam Rhamnusium ex Hispania missae, duabus Petri Bembi ad NAUGERIUM *adjectis: postremum* Descriptio itineris per Hispaniam, Galliamque ab Auctore confecti, *opus quidem non adeo multis luminibus ingenii exornatum, sed tamen utile, copiosum, varium. Quae duo*, Descriptionem, *&* Epistolas, *sexcentis locis emendavimus; erant enim in antiquis exemplaribus foede corrupta. Ne quid autem a nobis omissum queri aliquis posset*, Doctissimorum Virorum Testimonia de NAUGERIO *collegimus, non quidem omnia (id enim infinitum fuisset) sed tantummodo illustriora: ex quibus, nec non ex ipsius* NAUGERII *scriptis, brevem* ejus vitae Historiam *diligentissime concinnavimus. Haec sunt, quae in* hac Editione *praestitimus. Tuae humanitatis erit, Lector candide, si ali-*

cubi

cubi a nobis peccatum fuerit, ignoſcere; & si quid forte, praeſertim in Orthographia, *deprehendas, quod tibi minus probetur, non continuo id vitio vertere; ſcis enim, in ea re tot pene ſententias eſſe, quot capita. Utinam haec qualiacumque tibi, atque eruditis omnibus grata accidant: erit ſcilicet, cur ſumtus, & labores noſtros, qui non mediocres hercule fuerunt, leves arbitremur; noſtraque deinceps cura excitetur, ad majora in dies publicis commodis, utilitatique adornanda.*



PRAE-

PRAEFATIO QUAE ANTIQUAE OPERUM NAUGERII EDITIONI PRAEFIXA EST.

EST HIC, humanissime Lector, cur & fragilitatis vitae humanae recorderis, &, quantum magnis saepe viris fortuna invidere solita sit, possis agnoscere. ANDREAS enim NAUGERIUS, vir tum acri judicio, tum dicendi arte, quanta vix alius; quum annum aetatis quartum & quadragesimum ageret, immatura morte praeventus, nec, quae jam pridem moliri ceperat, scribere, nec, quae jam scripserat, ut absoluta atque undique perfecta legerentur, facere potuit. Nam quum ex Hispaniensi diuturna Legatione vix dum Venetias rediisset, visque alia belli major, proxima aestate, adventu Caesaris in Italiam, exarsura esse videretur: ineunte vere, celeri, ac (ut fieri potuit) citato cursu, Orator in Galliam mittitur. unde in morbum incidens, quum vix primum Patriae officium praestitisset, Regem semel, aut iterum allocutus, triduo fere absumtus est. Et quoniam vir summi ingenii, summique etiam spiritus, & qui seipsum probe cognosceret, quae fecisset, non esse ejusmodi putabat, ut invulgari citra sui nominis jacturam possent: dum tantae existimationi, quanta jam ipse apud omnes eruditos omnium fere nationum agebat, utpote nec polita satis, nec umquam recognita, non usquequaque responderent; quaecumque apud se habuit, igne delevit. Quod quidem conjectura colligi facile idcirco potest: quia & adolescens adhuc quum se ad bonorum poëtarum, ac cumprimis Virgilii imitationem traduceret (ut ejus ad Vulcanum Epigramma testatur) Silvas suas, Statii imitatione factas, exussit: nisi quis forte suspicari malit, ea furto alicujus, quo tum ille familiariter uteretur, periisse; nam erat re vera cum amicis omnibus minime dissimulator. Verum (utcumque se se res habeat) Libri ejus de Venatione duo pulcherrimi, Heroico carmine scripti, & unus de Situ Orbis eodem stilo confectus, itemque Lusus complures, quos alias amici ejus legere, nusquam omnino apparent. atque, ut omittam Laudationem illam

illam, quam in funere Cypriae Reginae de Veneta Corneliorum Gente Nobilissima *publice habuit*: *&* alia multa, *quae pari jactura perierunt*: *quo piaculo dixerim*, *luculentissimam* Historiam *ab ingressu* Caroli VIII. *in* Italiam *ad haec usque tempora*, *tot vigiliis*, *tantoque labore deductam desiderari? sed quis hanc culpam praestare debeat? quando* (*ait Poëta*)

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Amici igitur Haec, *quae vides*, *& quidem pleraque imperfecta*, *quoniam omnino exstabant*, *vel clanculum exscripta*, *quum adhuc essent in litura*, *vel familiaribus tantum*, *immatura quamvis*, *olim tradita; veluti quasdam funeris ejus reliquias; collegere: satis pietati suae datum existimantes*, *si haudquaquam penitus tanti viri memoria tam exiguo vitae spatio terminaretur. decreveruntque etiam propediem librariis dare* Marcum Tullium, Terentiumque, *&* alios aliquot bonos Auctores, *quos ille industria sua pene incredibili*, *collatis omnibus*, *ubicumque terrarum egit*, *exemplaribus*, *castigatiores effecerat. Tu itaque*, *Lector optime*, *siquid in iis te juverit*, *aut haec non omnino displicebunt*, *precaberis interim tibi*, *ut*, *quum diligens*, *laboriosusque fueris*, *tuis tamen ceptis melior fortuna non desit.*

EPI-

EPITAPHIUM ANDREAE NAUGERII.

(Ex Hieronymi Ghilini Abbatis Theatri Virorum literis illustrium Volumine III. MS.)

ANDREAE. NAVGERIO
SENATORI. AMPLISS.

CVIVS. SINGVLAREM. DOCTRINAM. ET. ROMANAE ELOQVENTIAE. CANDOREM. EVROPA. OMNIS. EST ADMIRATA. PRVDENTIAM. VERO. CAETERASQVE PRAESTANTIS. ANIMI. VIRTVTES. PATRIA DIFFICILLIMIS REIP. TEMPORIBVS. VEL. VNA. ILLA. HISPANIENSI DIVTVRNA. APVD. CAROLVM. V. LEGATIONE. SAEPIVS EXPERTA. EST. BLAESIO. IN. OPPIDO. AD. LIGERIM SVMMO. FRANCISCI. GALLORVM. REGIS. MOERORE APVD. QVEM. LEGATVM. AGEBAT. VITA FVNCTO QVVM. REGEM. IPSVM. SEMEL. AVT. ITERVM ALLOCVTVS. FLORENTI. ADMODVM. INGENIO. VIR VNVS. OMNIVM. SVI. SAECVLI. LONGE. CLARISSIMVS AETATIS. ANNO. SEXTO. ET. QVADRAGESIMO. NON MINORI. SVO. QVAM. PATRIAE. FATO. RAPERETVR

ANDREAS. ET. BERNARDVS. BARTHOLOMAEI. F.
PATRVO. B. M. PP. M.D.XXCV
DECESSIT. OCTAVO. IDVS. MAII. M.D.XXIX

AN-

ANDREAE NAUGERII

PATRICII VENETI

VITA

A

JOANNE ANTONIO VULPIO

CONSCRIPTA.

ANDREAS NAUGERIUS, Orator, Hiſtoricus, & Poëta, longe doctiſſimus, atque elegantiſſimus; cujus olim in *Europa* univerſa pervulgatum, ac celebre nomen fuit; vix eam apud homines dignitatem obtinere videtur, quam ipſe ſibi pulcherrimarum artium ſtudiis ingenti cum laude conciliaverat. Utrum id acciderit negligentia temporum, quae deinceps conſecuta ſunt, invecto praeſertim in ſcholas corruptiſſimo genere dicendi: an vero quorumdam levitate, qui praeclara ingenia multitudine magis, quam excellentia monumentorum

metiri consueverunt; non satis compertum est. Hujus ego maximi viri memoriam, situ pene atque oblivione obrutam, excitare quodammodo, ac repraesentare, in animum induxi; non, quod eum existimem, ut illustrior fiat, orationis cujusquam indigere: sed ut *Itàlis* adolescentibus, egregia plerumque indole praeditis, ejusmodi exemplar proponam, in quod saepius intuentes, abjecto otio & nugis, de veteri Eloquentiae gloria recuperanda, unde superiore saeculo excidimus, aliquando incipiant cogitare. Natus est igitur ANDREAS *Venetiis*, anno post CHRISTI adventum cIↃcccclxxxiii. Parentes habuit *Bernardum Naugerium*, & *Lucretiam Polanam*. Hae familiae in antiquissimis *Venetae Civitatis* numerantur. Antiquior tamen *Polana*; quae scilicet *Urbis* initia vetustate fere attingere dicatur. Excolebantur per id tempus ab hominibus gloriae cupidis magno labore, magnaque animorum contentione, non in *Italia* solum, verum etiam apud caeteras *Europae* nationes, optimarum studia disciplinarum; quae jam inde ab excidio *Romani Imperii*, diuturno plurium saeculorum intervallo abjecta penitus, & prope mortua jacuerant. Et jam eo perducta res erat, tum antiquorum scriptis ex abditissimis bibliothecis eruendis, tum iisdem ita emendandis, explicandisque, ut nullo negotio ab juventute intelligi, mandarique memoriae possent: saepe etiam ad illorum normam atque vestigia novis fingendis argumentis, orationibus, omnique poëmatum genere: ut qui in posterum nascerentur, tantisque copiis instructi, acrius tamen judicium, severioremque delectum ad legendum, scribendumque conferre

vo-

voluissent, ii procul dubio supremam manum, & veluti fastigium quoddam, absoluto nondum operi demum impositturi viderentur. Id enim peccabant homines, alioqui eruditi, neque ab ingenio inopes, quod aut unumquemque scriptorem sine discrimine lectitarent, & ex unoquoque verba, sententias, varios loquendi modos passim excerperent, & in sua scripta transferrent; unde necesse erat genus quoddam orationis exsistere absurdum prorsus, atque inconcinnum, perinde ac *si multa jura confundat coquus*, quod est apud Comicum quemdam Poëtam: aut *Cicerone* contemto, caeterisque optimis, qui aurea illa *Augusti* aetate, vel paulo ante vixerunt, deteriorum quam simillimos se esse mallent, puerilesque ineptias, inanemque ac stultam loquacitatem incredibili judiciorum perversitate sectarentur. Quae vitia (ut est rerum humanarum perpetua quaedam vicissitudo) ita rursus in amore, atque in pretio esse, ita mentes eorum, qui se dicendi rationem adolescentibus tradituros profitebantur, occupare ceperunt; ut nemo proximis his temporibus vel Poëta, vel Orator haberetur, qui non eodem morbi genere laboraret. Quod nisi per disertissimos viros huic pesti maturius occursum fuisset, ne umbra quidem sanioris Eloquentiae ad posteros pervenire posset. In ejusmodi corruptelas inciderat NAUGERII adolescentia. Quapropter (ut ea facillime percipi, atque adhaerescere cernimus, quae a summis auctoribus in animos discentium profecta, eos levi momento percellere, & in quamcumque partem impellere solent) ipse quoque prima illa aetate, quam omnem ad alienum arbitrium instiui pudor jubet, vulgari doctorum ho-

minum consuetudine, quasi aestu quodam, aliquamdiu se abripi passus est. Apparebat in eo praestans, & ad omnia natum ingenium: memoria valebat plurimum; ut integros prope Poëtarum libros, quibus in primis delectabatur, magna cum audientium admiratione ex tempore posset recitare: literarum vero cupiditate ita incensus ferebatur, ut prae illarum dulcedine non solum voluptates alias omnes repudiaret, verum etiam valetudinis curam saepius abjiceret. Accedebat ad haec mira vocis, & pronunciandi suavitas: hilaritas & comitas vultus, quam tamen adjuncta gravitas temperaret: congressus, & sermonis facilitas: status denique motusque corporis, quod illi procerius natura dederat, decorus atque elegans. Quibus rebus id consequebatur, ut quum omnibus aeque acceptus esset, tum firmissimas societates, sanctissimasque amicitias in dies sibi compararet; neque ejus processibus magnopere invideretur. Quum puer esset, in *Latinis literis* perdiscendis operae plurimum, studiique consumsit; quas magna famae celebritate *Venetiis* docebat *M. Antonius Coccius Sabellicus*, quum ei stipendium publice praeberetur, vir sane doctus, &, ut illa ferebant tempora, scriptor disertus, & gravis: qui primus *Veneti Senatus* decreto, ejus *Reipublicae Historiam* ab exordio *Urbis* memoriae prodidit; deinde immensum opus aggressus, universam omnium saeculorum, gentium, & locorum antiquitatem iis libris complexus est, quos *Enneadas* appellavit. Hunc tametsi NAUGERIUS in loco parentis observabat: multumque apud ipsum praeceptoris valebat auctoritas; pulchrior tamen, & absolutior Eloquentiae species in adolescentis ani-

mo

mo insidere cepit. quam assidue contemplatus (ut erat judicio acerrimo, quod aetas jam corroborata sensim perficiebat) in elegantissimis tantum scriptoribus legendis, imitandisque juventutem suam deinceps collocare statuit. Excitabatur ad id quum mirifica voluptate, quam ex hujusmodi meditationibus capiebat: tum spe gloriae, quae ab optimis quibusque, tamquam amplissimum praemium expetitur recte factorum: tum praecipue *Petri Bembi* civis sui exemplo, quem ad barbariem profligandam strenuum profecto ducem mansuetiores *Musae* sibi delegisse videbantur. Igitur quae sibi adolescentulo, seu potius puero, minus castigata olim exciderant; inter quae *Silvas* aliquot ad *Papinianarum* similitudinem carmine conscriptas; ne quid apud posteros de laude sua detrahi aliquando posset, non invitus in ignem conjecit. qua de re in ejus *Lusibus* lepidum exstat *Epigramma*. Ut autem eam dicendi facultatem, & gloriam, ad quam toto animo, totis viribus jam pridem contendebat, certius, & brevius assequeretur, *Patavium* profectus est; ubi *Graecas literas* a *Marco Musuro Cretensi*, qui eas ibi profitebatur, avide arriperet. existimabat enim (id quod experientia comprobatum videmus) qui *Graece* nesciret, aditum ad veram solidamque eruditionem patere nemini. Florebant eo tempore per *Italiam* hujusmodi studia, adeo ut vel tarditatis, vel inertiae crimen effugere vix possent ingenui adolescentes, si qui ad illa maturius animum non appulissent; in tanta praesertim copia magistrorum. Capta enim recens *Constantinopoli* ab immanissimo *Turcarum Rege Mahumete*, quo, veluti *Athenas* alteras, ad cultum animi

mi capiendum, e tota *Graecia* concursus fieri soliti erant; expulsi inde doctissimi homines, in *Italiam* ad *Pontificem Maximum*, caeterosque *Christianos Principes* venerant exsules, eamque nova quasi doctrinae luce perfuderant. Inter quos eminebant facile *Emanuel Chrysoloras*, *Bessarion Nicenus*, *Joannes Lascaris*, *Demetrius Chalcondylas*, *Theodorus Gaza*, *Joannes Argyropylus*, *Constantinus Lascaris*, *Georgius Trapezuntius*, & is, quem superius diximus, *Marcus Musurus*. Horum ope *Graeca* eruditio longe lateque propagata, eos denique fructus peperit, qui a nobis dulcissimi, atque uberrimi percipiuntur. Tanto suscepto negotio, id perfecit NAUGERIUS cura, exercitatione, assiduitate, magistrum saepius interpellando, & ex illo obscurissima quaeque sciscitando, ut jam scriptores *Atticos* non solum penitus intelligeret, sed etiam pressius imitaretur, & in suos usus convertere posset. Neque a *Poëtis Graecis* evolvendis rei difficultate absterrebatur; quorum ea fuit in scribendo sive licentia, seu potius artificium, ut *Antonius* ille magnus apud *Romanos* Orator, quamquam *Graecarum literarum* peritus, eos tamen attingere non conaretur, quasi aliena quadam lingua locuti fuissent. *Pindarum* in primis admirabatur, quem & manu sua non semel descripsit; ut *Aldus Manutius* missa ad eum *Epistola* testatur. Eloquentiae porro studiis optimo consilio Sapientiae studia conjungenda censuit; sine quibus orationem omnem, quamvis multo verborum lumine illustratam, jejunam tamen, futilem, sanorumque hominum auribus indignam esse oportet. Itaque non mediocrem *Philosophiae* operam dare cepit: *Petrumque Pomponatium*, de rerum natura

acu-

acutiſſime differentem, in *Patavino Gymnaſio* frequens audivit. Ob inſignem vero ſpectatamque probitatem, celſam praeclaramque indolem, magnos in quolibet literarum genere celerrimoſque profectus, ita praeceptoribus carus erat, ut nihil non ejus cauſſa vellent, omniaque de illo ſumma, omnia praeter vulgarem conſuetudinem, non vanis opinionibus augurarentur. Morabatur ille *Patavii* libentiſſime; in urbe nimirum ab honorum contentione, civilibuſque concertationibus maxime remota: ubi per ſummum otium ac tranquillitatem in iis artibus verſaretur, ſine quibus vitam aut nullam, aut ſane acerbam putabat. ipſa etiam caeli aſpiratio ſalubris, ac temperata, hortorum, ſuburbiorum, & *Medoaci* fluminis amoenitas, opacae frigidaeque per aeſtatem ambulationes; tum ſodalium, qui eodem ſtudiorum cauſſa venerant, conſuetudo ſermoneſque jucundiſſimi, animum a cura, corpuſque a laboribus recreabant. Quam urbis nobiliſſimae faciem bello illo, quod a potentiſſimis *Europae* Regibus contra *Venetos* acerrimum geſtum eſt, nonnihil a *Germanis* militibus deformatam aegre admodum tulit, elegantique *poëmate* deploravit. Utebatur cenſore ſcriptorum ſuorum *Chriſtophoro Longolio*, viro in *Germania* nato, ſed qui ſcribendi exercitatione, doctrinaque multiplici cum praeſtantiſſimis *Italorum* ingeniis contendere poſſet; &, ſi diutius ei vivere contigiſſet, in ſummum Oratorem evaſurus videretur. Coluit etiam ex nobili ſuae *Civitatis* juventute *Caſparem Contarenum*, ſingulari vitae innocentia, morumque gravitate adoleſcentem: *Petrum Bembum*, qui veteris germanaeque Eloquentiae laude inter caeteros clarus,

atque

atque insignis habebatur: *Christophorum*, & *Angelum Cabriellios*, *Nicolaum Theupolum*, *Augustinum Pisaurium*, ... *Canalem*; qui omnes principum familiarum, in quibus orti erant, amplitudinem ac dignitatem literis ornare, ac quodammodo cumulare non desinebant. Contulerant se item ad ejus amicitiam *Joannes Cotta*, & *Bartholomaeus Riccius*: quorum alter suavissimis versibus *Catulli* municipis sui urbanitatem, & veneres exprimere conabatur: alteri vero NAUGERIUS ipse auctor fuit, ut ex purissimis tantum fontibus, non ex turbidis quibusdam rivulis, candorem, copiam, atque ornamenta *Latinae* orationis hauriret. Nemini tamen arctiore necessitudinis vinculo conjunctus fuit, quam aut *Hieronymo Fracastorio*, excellentis ingenii viro, qui e recentioribus Poëtis omnium proxime ad *Publii Virgilii* divinas illas in condendo carmine virtutes accessit: aut *Joanni Baptistae Rhamnusio*, homini Reipublicae administrandae scientissimo, cujus tum fidei, tum prudentiae *Decemvirum Consilium* (est hoc gravissimi Magistratus apud *Venetos* nomen) negotia sua omnia, & mysteria servanda tradiderat: aut denique *Rhamundo*, & *Joanni Baptistae Turrianis* fratribus, e *Veronensi* nobilitate; quorum erant multae, ac reconditae literae, incredibilis humanitas, amorque Sapientiae. Ad hos in *Baldi* montis recessibus prope *Veronam* doctissimos illos *de re Poëtica sermones* habuit, qui a *Fracastorio* diligentissime excepti, monumentisque mandati, ad nostram usque aetatem pervenere. Nisi quis fortasse existimare velit, *Fracastorium* totam ejusmodi disputationem affinxisse NAUGERIO; amici nimirum ingenio, ac studiis maxime accommodatam. Quod etsi mihi vide-

videtur a veritate abhorrere, caeteris tamen dijudicandum relinquo. Consuetudo ejus plenissima suavitatis erat: animus ab omni simulatione alienus: sermo, qui plurimum delectaret, neminem laederet: pronunciatio denique ipsa verborum tam dulcis, tam varia, & in omnes partes flexa, ut, sive aliquid legeret in conventu amicorum, sive narrationem ordiretur, sive de disciplinis, rebusque domesticis loqueretur, eos qui audirent mira quadam voluptate affectos a se dimitteret. Quum vero sibi ipse numquam satisfaceret in scribendo, & ea quae primo impetu effudisset, ad limam subinde acri, & polito judicio revocaret, obtrectatorum reprehensiones lente admodum ferebat; quin imo ex iis utilitatis aliquid elicere studebat. Quo factum est, ut invidiam omnem atque offensionem, quae praestanti ejus ingenio, singularique doctrina nonnihil excitata fuerat, idem constantia, & magnitudine animi paulatim exstingueret. Quamvis autem gloriae cupiditate duceretur, non tamen ad illam nimia festinatione properandum existimabat: neque umquam, dum viveret, e commentationibus suis aliquid, nisi dissimulato nomine, in conspectum hominum prodire passus est. Nam pauca illa NAUGERII, quae sunt in manibus, amicorum ejus pietas aut clanculum excepta, aut precibus extorta, aut eo mortuo in adversariis inventa, ab interitu vindicavit. Mirabile est, quum quotidie plurimum meditaretur, nullumque illi a legendo, scribendoque tempus vacuum relinqueretur, quam multa veterum scripta (*Terentii* nimirum, *Lucretii*, *Virgilii*, *Horatii*, *Tibulli*, *Ovidii*, *Quintiliani*) ad incorruptorum Codicum

veritatem exegerit: quos undique ſtudioſiſſime conquirebat. In primis vero *M. Tullii Ciceronis Monumenta* immortalitate digniſſima, quae diuturno ante tempore dejecta, mutila, & fere ignorata in tenebris delituerant, ipſe magnis laboribus digeſſit, ſupplevit, bonoque in lumine collocavit. Quo beneficio ita doctorum hominum rationibus, ingenuorumque adoleſcentium ſtudiis proſpexit, ut, etiamſi nihil aliud ab eo profectum eſſet, ob hoc unum tamen ingentes ei gratiae ab omni poſteritate eſſent habendae. Uſus eſt autem in emendandis antiquorum libris, *Aldi Pii Manutii* opera, fideli ſane atque aſſidua, a quo diligentiſſime colebatur: quumque ille, inſigni calamitate accepta, de *Typographia* deponenda cogitaret (quae res non mediocre bonis literis detrimentum illatura videbatur) hortatu NAUGERII, animum jam demiſſum & oppreſſum erexit, atque in incepto permanſit. Quum igitur propter eximias, raraſque virtutes, excellens ingenium, omnibuſque diſciplinis excultum, probatam denique induſtriam, NAUGERIUM univerſi diligerent, juſtiſſimiſque laudibus in caelum ferrent; tantum aberat, ut ipſe ſua miraretur, ut potius ea ſemper verbis extenuaret, dictitaretque: *ſe ingentium operum rudia quaedam tantummodo fundamenta jeciſſe, abſolutionem vero ad caeteros pertinere.* Pie caſteque DEUM colebat, *Chriſtianaeque Reipublicae* fines longius proferri vehementer cupiebat; neque, ut id perfici poſſet, LEONI X. PONTIFICI MAXIMO, apud quem ſummo erat in honore, ſtimulos admovere deſtitit, ut is deſides, diffidenteſque, inter ſe Principum animos ad bellum *Turcis* inferendum auctoritate ſua impel-

pel-

pelleret, atque incitaret. Id praestitit NAUGERIUS *Epistola* quadam eidem *Pontifici* inscripta, quam *Ciceronis Orationibus opera sua emendatis* apponi curavit. Amicis numquam defuit, quos omni officiorum genere prosequebatur; sed alieniores etiam, quos optimarum artium studio ardentius inflammatos cognovisset, in familiaritatem suam libentissime recipiebat; quibuscum honestissimos de virtute, praeclarisque antiquorum institutis sermones habebat, ut qui ad eum venissent, doctiores semper ab eo se discedere faterentur. Patriae vero civiumque caritas in eo tanta erat, ut, quamquam ab omni ambitione remotissimus esset, idque a natura haberet, ut secessu ac solitudine magis, quam urbano strepitu delectaretur; nihilominus, quoties Reipublicae tempora postularent, ejus commodis, quam tranquillitati suae inservire mallet. Sed quum primum a negotiis laxamenti aliquid nactus fuerat, statim a curiae forique conspectu, aut in *Suburbanum* suum, quod *Murani* possedit amoenissimum, aut in *Forojuliensem* regionem, laetam atque uberem, aut ad pulcherrimum *Benaci* litus, tamquam a tempestate in portum aliquem, confugiebat. Voluptatibus autem agricolarum, quae potissimum videntur esse sapientis, mirum in modum afficiebatur: omnesque natas e terra *stirpes*, earumque vim atque naturam cognoscendi cupidus erat: quarum etiam nonnullas, eatenus nostris hominibus incognitas, ex *Hispania* in *Italiam* secum advexit. *Romae* fuit aliquando; ibique *Petro Bembo*, & *Jacobo Sadoleto*, viris eo tempore omnium eloquentissimis, valde familiariter usus est. quumque diligens esset scrutator antiquitatis,

& in Historiis legendis diu multumque versatus, de veterum aedificiorum splendore, ac magnitudine, ex iis, quae superessent, ruderibus sagacissime existimabat. Nec leviora studia omnino contemsit; nam & de signis, & de picturis, & de sonis atque concentibus judicium facere poterat; ut etiam puerum fidicinem domi aleret, suae amicorumque voluptati. Quum enim pulchritudinis veluti quamdam ideam animo comprehensam haberet, ideo in unaquaque re quid aptum, quid decorum, quid elegans esset, quid contra, facillime sentiebat. Ob vehementissimam autem, quam in literarum studiis adhibebat, animi contentionem, assiduas immoderatasque vigilias, habitu corporis paulatim vitiato, in periculosum incidit morbi genus, quod μελαγχολίαν *Graeco* nomine medici appellant: cujus vi adeo conflictatus est, ut quamquam invitissimus, libros tamen omnes abjicere, industriaeque suae cursum omnino interrumpere coactus fuerit. Per id tempus in *Bartholomaei Liviani*, *Venetarum copiarum Imperatoris* contubernio vixit: fortissimi sane viri, sed adversa saepius fortuna usi: quem tamquam exemplum veteris disciplinae unice admirabatur; fatoque suo functum illustri *Oratione* laudavit. *Livianus* contra NAUGERIUM diligebat, jampridem in *Academiam* suam cooptatum, quam ipse ad *Portum Naonis* constituerat, occluso propter bellorum calamitatem *Patavino Gymnasio*. Fluit ibi *Naucelus* fluvius, quem antea contemtum atque ignobilem *Academia* nobilitavit; eumque videtur alumnorum suorum scriptis editis pro signo apposuisse. Iisdem in regionibus, secundum *Livianum*, *Hieronymo Savorgnano*, summo

duci,

duci, NAUGERIUS plurimum tribuebat; cujus consilio, fide, virtute *Opsopium* munitissimum oppidum contra validam hostium oppugnationem *Veneto Imperio* conservatum est. Depulso igitur morbo (magnam enim illi levationem attulerant itinera, animique remissio) totum se rursus in literas abdidit, a quibus aegre se avelli patiebatur. Quamobrem tanta opinione probitatis, tantaque existimatione doctrinae apud cives suos florere cepit, ut vix quisquam inveniretur, quem ullo virtutis genere cum eo conferendum putarent. Legaverat supremis tabulis ante aliquot annos *Veneto Senatui Bibliothecam* suam vetustis Codicibus refertissimam *Bessarion Nicenus*, homo *Graecus*, *Platonicae* doctrinae studiosissimus; qui ob singularia in *Christianam Rempublicam* merita, egregiamque in *Concilio Florentino* navatam operam, ab EUGENIO IV. PONTIFICE MAXIMO in amplissimum *Cardinalium* ordinem lectus fuerat. Ei *Bibliothecae* custodiendae *Senatus* praefecit *M. Antonium Sabellicum*; quo e rebus humanis sublato, id munus continuo ad NAUGERIUM delatum est, una cum onere *Historiae* conscribendae. Haec enim duo primis illis temporibus conjuncta fuere; cujus rei, praeter caeteros, testem locupletem habemus *Petrum Bembum*, qui & ipse post NAUGERIUM utramque provinciam suscepit, *Senatus* decreto. Quantam porro *Latini* sermonis elegantiam, quantam in rebus gestis colligendis diligentiam, quantam civilis prudentiae copiam, ad eorum alterum cum dignitate praestandum NAUGERIUS afferret, quum e *Bartholomaei Riccii*, *Romuli Amasaei*, aliorumque doctorum virorum libris intelligi potest,

qui

qui omnes ejus operis rudimenta mirifice laudant; tum ex ipsius *Orationibus* conjecturam facere licet, in quibus multa leguntur eo stilo scripta, qui non valde ab Historia distet, *Caesarisque* imitationem, quem ille sibi proposuerat, aperte prodant. Conciones se passim narrationi admiscuisse, testatur ipse apud *Fracastorium*; *Polybii* videlicet, ac *Thucydidis*, gravissimorum scriptorum, auctoritatem secutum. Totam vero *Historiam* in decem libros tribuerat, exorsus a *Caroli Octavi*, *Gallorum Regis*, in *Italiam* adventu; id quod postea, deletis NAUGERII lucubrationibus, a *Paulo Jovio*, & *Francisco Guicciardino* pariter factum videmus. Utinam aut ei longior vita suppeditasset, aut abundantiore otio frui licuisset (de quo multum Reipublicae tempora detraxerunt) ut, quod inceperat, absolvere, & perpolire posset: aut saltem inchoatum opus ad nos pervenire passus esset; quod ille, veritus judicium posteritatis, testamento comburi jussit. Quo casu desiderata est etiam *Oratio*, qua *Catharinam Corneliam*, *Cypri Reginam*, singulari virtute mulierem, vita functam pro concione laudaverat: item *de Venatione libri duo*, & *alter de Situ Orbis*, carmine conscripti: quae omnia si exstarent, quantus ille vir fuerit, manifestius, & plenius ostendi posset. His tamen quae supersunt, tamquam e naufragio reliquiis, jacturam caeterorum consolari praestat, quam de inanibus hominum contentionibus, fallaci spe, fragilique fortuna plus aequo dolere. Quum igitur omni disciplinarum genere animum excoluisset, boni civis officium existimavit fore NAUGERIUS, si prudentiam diuturno studio comparatam, usu etiam aliquo rerum con-

confirmaret, & ad communem Patriae salutem, dignitatemque converteret. Foedus icerat *Senatus Venetus*, ob tuendam *Italiae* tranquillitatem, cum *Carolo Caesare*, eodemque *Hispaniae Rege*: utque firmius potentissimi Principis voluntatem sibi adjungeret, legatos hac de re ad eum mittere constituerat. Legationem tam illustrem, in qua tamen plurimum difficultatis inesset, hortatu amicorum, sibi petiit NAUGERIUS: eaque cunctorum suffragiis impetrata, una cum *Laurentio Priolo* Collega in *Hispaniam* profectus est. Sed quum iter ii nondum confecissent, *Franciscus Galliae Rex*, maximo exercitu coacto, in *Insubriam* venit, quam ad se pertinere contendebat: occupatoque *Mediolano*, ad *Ticinum* castra posuit, eamque urbem arctissima cinxit obsidione. Dum haec gererentur, & nuncius deditionis in dies exspectaretur, non longe abfuit, quin *Senatus* legatos revocaret: timebat enim, ne *Rex* victoria elatus in *Venetorum* fines irruptionem faceret, agrosque eorum foede popularetur: & idcirco *Caesaris* rebus lente admodum favebant, praesertim quum a *Regis* amicitia inviti discessissent. Verum praeter omnium opinionem accidit, ut *Galli* commisso praelio cum *Caesaris* exercitu, qui ad urbem obsidione liberandam appropinquabat, in fugam versi turpissime caederentur; *Rexque* ipse in hostium potestatem veniret: quibus rebus auditis, legatis imperatum est, ut ad *Carolum* recta pergerent. Ea legatione impeditus NAUGERIUS quadriennium fere a Patriae, amicorumque conspectu abfuit; susceptamque provinciam magno Reipublicae commodo, & cum summa fidei, prudentiaeque laude administravit.. Sed quum *Itali*

Prin-

Principes, qui nimiam *Caesaris* potentiam formidabant, foedere inter se facto, & *Francisco*, *Galliae Rege*, qui pridem e custodia evaserat, in foederis societatem accepto, bellum *Carolo* indixissent, ni ad conditiones, quas ipsi proposuerant, descendere voluisset: post multa de pace colloquia, legati re infecta dimissi sunt. Vix domum attigerat NAUGERIUS, quum ei novum onus imponitur, altera scilicet ad *Franciscum Regem* legatio. Quapropter magnis itineribus citissime in *Galliam* evolavit. Mandatorum summa erat, *Regem* inducere, ut cum exercitu in *Italiam* ad *Caesaris* opes infringendas statim rediret: ejusque conatibus omne auxiliorum genus polliceri. Sed quum *Regem* adiisset NAUGERIUS, ab eoque honorifice fuisset exceptus, non solum pro *Venetae Reipublicae* dignitate, verum etiam ob ipsius ingentes praeclarasque virtutes (plurimi enim *Rex* ille magnus liberalium artium studia, doctosque homines aestimabat) *Blaesio in oppido ad Ligerim* de improviso in febrim incidit, eaque vehementius ingravescente, paucis diebus postquam decubuisset, vi morbi consumtus est. Anno videlicet a CHRISTI adventu cIↃ IↃ XXIX. VIII. Idus Maji; quum ipse annum aetatis ageret XLVI. Elatus est quam amplissime, summo *Regis* moerore: multisque excellentium virorum laudationibus ejus exsequiae honestatae sunt. Nuncio autem de *Legati* morte *Venetias* allato, incredibile est, quanto luctu Civitas universa fuerit affecta: quem dolorem fratres ejus acceperint, quem amici, quem familiares: inprimisque *Joannes Baptista Rhamnusius*, & *Petrus Bembus*; cujus illud de NAUGERIO testimonium exstat luculentum, in *Epistolis recen-*

tiori

tiori hac Italica lingua conscriptis: *Multis saeculis* Venetam Rempublicam, *qui cum eo comparari virtute possit, Civem habituram esse neminem*. *Rhamnusius* vero, annum post vigesimum secundum, amicissimi hominis memoriam repetens (qua erat apud *Senatorium Ordinem* gratia) *Senatusconsultum* fieri curavit, quo *Imagines* NAUGERII, & *Fracastorii*, ex aere scitissime expressae, illustri in loco *Patavii* collocari juberentur: idque continuo praestitum est, interrupto urbis muro vetustissimo, constructoque novo fornice, ac ponte contra *Templum D. Benedicti*. Desiderium etiam gentilis sui lenire magna ex parte visus est *Bernardus Naugerius*, vir eloquentissimus, pluribus legationibus pro Patria obitis clarus, ac tandem in *Cardinalium Collegium* a PIO IV. PONTIFICE MAXIMO cooptatus, & *Veronae Antistes* creatus. Imago tamen NAUGERII nostri diuturnior, & nullo umquam temporum spatio interitura, sunt scripta ejus elegantissima; pauca quidem, si numero spectentur, sed quorum paucitatem apud aequos judices venustas, candor, suavitas, caeteraeque dicendi virtutes abunde compensare possint. Quid enim ejus *Orationibus*, quas in funere *Liviani Ducis*, & *Lauretani Principis* habuit, aut copiosius, aut dulcius, aut ad permovendos animos magis idoneum? Multa in iis verborum lumina, qua simplicium, qua conjunctorum: crebrae, gravesque sententiae: apta, & disposita omnia. Quid porro ejus *Versibus* admirabilius, aut quod magis cum Antiquitate ipsa certare videatur? quos quum legas, nullo negotio te aliquid simile efficere posse confidas, at quum expertus fueris, frustra elabores, atque ab incepto deterrearis. Primus

ille viam munivit ad optimorum Poëtarum imitationem in *Epigrammate* ſcribendo; quam rationem ſecuti plures non exiguam ſibi laudem, licet in re tenui, peperere. Lectu etiam digna ſunt nonnulla, quae adoleſcens *Etruſcis carminibus* luſit: mollia ſunt, arguta, candida, & omnino ad *Franciſci Petrarchae* normam efficta. Ex quibus omnibus facile intelligitur, quam teretes, religioſaſque aures habuerit, quam limato, & acri judicio fuerit: quum & optimos tantum ſcriptores perlegeret, ac deterioribus ita infenſus eſſet, ut multa *Martialis* volumina, non ſine diris atque exſecrationibus, ſtato die quotannis incenderet. Quo tamen facto in multorum incidit reprehenſiones, qui videlicet acerbe ferrent, eum Poëtam deſpicatui haberi, quem & ipſi vehementer probarent, &, ſi Diis placet, *Catullo* etiam anteponerent. Nec minorem in eum invidiam excitavit *Epiſtola* quaedam, diſſimulato auctoris nomine a *Franciſco Aſulano* emiſſa, in qua NAUGERIUS adverſus *Volcatii Sedigiti* ſententiam graviſſimis argumentis contendit, *Latinae Comoediae* principem, longeque *Plauto* excellentiorem Poëtam, *Terentium* haberi oportere. Sed quemadmodum obtrectatores NAUGERIO non defuerunt (quod fatum eſt clariſſimorum virorum) ita laudatores quam plurimos habuit; qui quum praeſertim de mortuo loquantur, nulla ſuſpicio eſt, eos amicitiae cauſſa eſſe mentitos.

SELE-

SELECTA
DOCTORUM VIRORUM
DE ANDREA NAUGERIO,
EJUSQUE SCRIPTIS
TESTIMONIA.

Aldus Pius Manutius Romanus Epistola ad Jo. Baptistam Rhamnusium, qua ei Quintilianum suis typis editum inscribit, anno 1514.

Quem (*Quintilianum*) dum cursim recognosceret NAUGERIUS noster (minimum enim otii inter recognoscendum habuit, festinantibus impressoribus, quibus nec mora umquam est, nec requies) assiduus illi adjutor haesisti, & comes, tamquam alter *Achates Aeneae*: quippe qui ab illius latere numquam discedas, ob tuam in illius summas virtutes assiduam observantiam. jure igitur tibi *Quintilianum* dedicamus, &c.

Idem Epistola ad Petrum Bembum, praefixa Virgilio suis typis edito, anno 1514.

Cogitanti mihi, *Bembe* doctissime, cui potissimum dicarem ea *Virgilii Opera*, quae quum alibi, tum moriens sua ipse testatus est, inquiens: *Cecini pascua, rura, duces*: tu occurristi dignissimus eo munere, & quia emendatissima emittuntur; idque auxilio NAUGERII nostri, quem tu amas plurimum, & te ipse observat ob similitudinem, quae inter vos; *Virgilio* enim ambo simillimi:
Ambo florentes aetatibus: Aones *ambo*:
Et cantare pares, & respondere parati. &c.

Idem Epistola ad Albertum Pium, Carporum Principem, praefixa Lucretio suis typis edito, anno 1515.

Quod autem longe correctior emittitur nunc *Lucretius* ex aedibus nostris, quam consueverit, habenda est potissimum gratia

ANDREAE NAUGERIO nostro, qui eum, quamquam cursim propter ipsius occupationes, & importunam impressorum nostrorum festinationem, tamen accurate recensuit........ *& in calce*: Caetera ita praestita esse a nobis opinor, NAUGERII nostri industria, quam non contemnendam adhibuit; ut *Lucretius* legi, atque intelligi tandem possit.

Andreas Asulanus Epistola ad Bernardum Divitium, Cardinalem, praefixa I. Volumini Operum Ovidii suis typis excusorum, anno 1515.

Qui nunc (*Ovidius*) ex officina nostra is prodit, ut qui prius multis in locis corruptissimus circumferebatur, in eo pauca admodum desiderari posse videantur. Id adeo ANDREAE NAUGERIO referre acceptum debemus: qui, quum illum ex veteribus permultis exemplaribus diligentissime castigasset, labores suos impertiri omnibus voluit, ac mihi imprimendum dedit, &c.

Franciscus Asulanus Epistola ad Joannem Pinum, praefixa Horatio excuso in aedibus Aldi, anno 1519.

Praeter alios enim, quos plurimos adhibuimus, ANDREAE etiam NAUGERII, excellenti literatura, & ingenio viri, judicio non parum multis in locis adjuti, ita mendis omnibus sublatis integra reddidimus, ut vere profiteri possimus, non minus nostro labore tanto *Auctori* pristinam dignitatem esse restitutam, quam studiosissimo cuique lectori satisfactum in iis, quae vel obscura, vel ambigua ab omnibus in medium relinquebantur, &c.

Idem Epistola ad Jo. Baptistam Rhamnusium, in Decadem Tertiam Historiarum T. Livii, Aldinis typis excusam, anno 1520.

Quare, quum *Historiae hujus principem partem*, tanta cum diligentia a nobis descriptae, ANDREAE NAUGERIO, quem tu juxta mecum admiraris, dedicarim: tibi *alteram* ea potissimum de caussa dicare decrevi, ut illi hoc etiam loco meo munere junctus adhaereres, quem tibi jam pridem imitandum proposuisti, cujusque vestigia ubique sectaris: ratus vel id unum fore, quod rem omnem apud te commendaret, &c.

Idem

Idem Epistola ad Raymundum Turrianum, praefixa Lucio Floro excuso in aedibus Aldi, anno 1521.

Superioribus igitur diebus quum *Primam T. Livii*, Scriptoris gravissimi, *Decadem* ANDREAE tuo dicarim NAUGERIO, viro virtutibus omnibus insigni, omni scientiarum, disciplinarumque genere praedito, omnibus animi dotibus cumulatissime referto: quem, ob feliciffimum ipsius dicendi genus, ob nectareum *Romani* eloquii leporem, ob integram rerum omnium cognitionem, praeclarus hic *Senatus Venetus* ad scribendos nostrae tempestatis *Annales* aequissimo delegit jure, &c.

Petrus Alcyonius in Praefatione suae Aristotelis Libri de Mundo Versionis, ad Federicum Gonzagam, Principem Mantuanum.

Reliquum est, *Federice Princeps*, ut intelligas, me in hoc praeclaro *Commentario* ad te mittendo non maturius consilio meo, aut voluntati tuae satisfecisse, propterea quod codices tum formulis expressi, tum MSS. quos multos vel ex ipsa *Graecia* nuper allatos habuimus, ita multis mendis confusi, atque inversi circumferebantur, ut ad rectam veramque perstruendam lectionem nullum laborem, nullamque diligentiam sufficere experti fuissemus, nisi ANDREAS NAUGERIUS quosdam certissimae fidei, summaeque vetustatis mihi ex *Bessarionea Bibliotheca* promisisset. Est enim vir ille nobilitate, & humanitate, & virtute clarissimus, & mira ingenii, ac judicii laude praeditus, & disciplina exquisitarum literarum eruditissimus; quarum virtutum gloria adductus *Senatus Venetus* hominem & *Bibliothecae* praefecit, quam omni librorum genere instructissimam *Bessario* ei donarat, & honorem rerum suarum conscribendarum amplissimum decrevit. qua quidem in re ita praeclare versatur, ut jam animo cernamus illum plerisque veterum hanc scribendi laudem aut erepturum, aut certe facturum, ut eam communem cum illis habere possimus. Itaque gaudere tu etiam debes mirum in modum, *Princeps Clarissime*, quod quum aliorum majorum tuorum laudes, tum maxima praestantissimi, ac fortissimi Imperatoris, *Francisci* Patris tui, gesta scriptis hujus excellentis *Historici* ornari, ac celebrari videbis, &c.

Petrus

Petrus Joannes Olivarius Epistola ad Desiderium Erasmum Roterodamum. pag. 1858. Epistolarum Erasmi, Editionis novissimae Amstelodamensis.

Balthassarus Comes Castilioni, Orator *Pontificis*, vir utcumque eruditus, NAUGERIUS *Venetus*, vir utriusque linguae eruditissimus, & *Andreas Neapolitanus*, in dies debacchantur in stilum tuum. Non potest ferre haec natio, quod unus *Germanus* ostentationem *Italorum* depresserit. Numquam sum apud eos, quin illico faciant mentionem de stilo *Erasmi*: *Erasmus*, inquiunt, *tuus ex Latino factus est Barbarus*. *Tuus*, dicunt in contumeliam, quum ipse nulla alia re jactem me ipsum, quam quod sis *meus*. Laudant artificium *Moriae*: *Lucianicum* vocant. Objiciunt uni *Erasmo Jovianum Pontanum*, hominem, quantum potui ex scriptis illius perspicere, eruditum, sed mirum in modum verba affectantem: stilum *Erasmi* dicunt nihil esse ad *hujus* stilum. Ego vero contra, *Erasmum* contendo longe eloquentiorem, illum vero affectantem. Objeci illis inter pocula curiositatem *Pontani* in suo *Dialogo* qui inscribitur *Actius*, ubi curiosissime agit de numeris orationis *Virgilianae*. fatentur hominem plus justo curiosum, sed eruditum: copiam verborum in te, & facilitatem, velint nolint, meis argumentis laudant, &c.

Hieronymus Fracastorius in Dialogo qui inscribitur Turrius.

NAUGERIUS autem, quod Poëta is est, quem noscimus, paucis quidem, aut nullis ex Antiquioribus cedens, &c.

Giovangiorgio Trissino nel Libro XXIV. dell' Italia Liberata da' Goti, dove nomina molti de' più Celebri Letterati, che a que' tempi fiorivano.

E l'ottimo *Pontano*, e'l *Sannazaro*,
E'l *Sadoleto*, col *Flaminio*: e'l *Bembo*,
E'l *Fracastorio*, e'l NAVAGERO, e'l *Cotta*.

Lilius Gregorius Gyraldus Dialogo I. de Poëtis suorum temporum.

Cui non placet ANDREAS NAUGERIUS, ut nunc dicitur,

Patri-

Patricius Venetus? qui quum interiores, & reconditas literas afsectetur, non minus tamen est, ut scitis, elegantissimus Poëta. saepius enim mecum quum pleraque illius *Epigrammata*, tum alios quoque *versus* legistis. ejus mira illa virtus antiquae simplicitatis aemulatio: hujus quidem *Musa* dulcem habet elegantiam, & candorem.

Jacobus Sadoletus ad Christophorum Longolium. Ex Libro Epistolarum Clarorum Virorum ad Longolium.

Naugerio autem, si erit commodum, & gratias agas, quod de me honorifice sit in scriptis suis locutus; etsi me non minus benivolentia ejus, quam testimonium delectat.

Idem ad Angelum Colotium. Libro V. Epistolarum.

Namque hos (*Balthassarem Castilioneum, & Jo. Franciscum Furnium*) qui modo secutus supremum in *Gallia* obiit diem, pari cum illis virtute, & nobilitate praestans Andreas Naugerius, tametsi nostris coetibus minus saepe interfuerat: propter excellentem tamen in literis & scientiam, & gloriam a nobis est perhibendus.

Petrus Bembus initio Historiarum Venetarum.

Urbis Venetae res annorum quatuor & quadraginta scribere aggredior, non judicio, aut quod ita mihi libuerit, sed quodam quasi fato, vel certe casu. nam quum, Andrea Naugerio, cui haec publice cura tradita fuerat, in Legatione *Gallica* vita functo, *Decemviri* a me Collegii decreto petiisent, ut, quando is moriens sua scripta comburi jussit, ipse ea in re atque munere Patriae meam opem requirenti ne deessem: pudore verecundiaque recusandi, ad variam atque multiplicem, quodque vere possum dicere, multo maxime operosam scriptionem me contuli, annos natus LX.

Idem ad Jacobum Sadoletum, Libro III. Epistolarum Familiarium.

Naugerius (*Historiae Venetae*) confecti nihil reliquit.

Idem

Idem ad Hieronymum Nigrum, Libro VI. Epistolarum Familiarium.

Nam quod NAUGERIUM extollis maximis, verissimisque laudibus; facis quum ex tuo judicio, tum ex tuis etiam moribus. Quamquam quis est, qui non idem sentiat? quis, qui non ejus mortem eluxerit? qui non in eo clarissimum horum temporum lumen extinctum esse, atque sublatum putet?

Il Medesimo a M. Giovambatista Rannusio, nel Libro III. del Volume III. delle sue Lettere Volgari.

Ho veduto con incomparabile dolore quello, che mi scrivete del nostro M. ANDREA, e letto la lettera del suo *Collega* d'intorno al mal suo. Vi ringrazio del vostro ufficio. Ma vi dirò ben questo; che torrei essere stato molto lontano dalle vostre lettere. Se quel poverino sarà morto; che io lo tengo spacciatissimo; solo per questo, che era uomo senza pari; la Patria nostra perderà il più valoroso Cittadin suo, che ella sia per aver di qualche secolo, e secolo innanzi. Maladetta sia la mala sorte; che così a questi tempi porta. Sarà stato quella staffetta delle quaranta miglia, che dite; della qual non m'avevate scritto per le altre; cagion di questo mal suo. DIO lo risani, s'è possibile, e risanerà me d'una doglia, che io sento. Non sò che altro dirvi. State sano. Addi XI. di Maggio. M.D.XXIX. di *Padova*.

Il Medesimo allo Stesso, nello Stesso Libro.

Io non ho mai dubitato, vedute le altre vostre lettere, che mi avvisarono della infermità del nostro M. ANDREA; che io non avessi d'ora in ora ad aver da voi queste altre, che m'apportassero la novella della morte: e ciò per la causa, che io allora vi scrissi; che esso era troppo eccellente uomo da dover vivere a questi così miseri, e nimici tempi. E però non m'avete accresciuto infinito dolore con esse. Che'l dolore infinito ho dapoi sempre sentito ogni dì, ed ogni ora, ed ogni momento. O fortuna come sei ben rea, e crudele, e spaventevole; la quale sì improvisamente n'ai tolto quel così chiaro, così fecondo, così vivo, e raro ingegno: e così fuor di stagione non solo a se, che ora incominciava a pigliar delle sue fatiche alcun frutto; ma ancora alla sua casa, a'suoi amici, e sopra tutto alla sua e nostra Patria: la qual

non

non mi maraviglio se sene duole, quanto dite; percioochè molti anni sono, e forse molti secoli, che essa perduto non ha il più utile, ed onorato Cittadin suo di lui. O fallace Mondo, chi ti crederà più, o chi di te si fiderà giammai? Ma non voglio accrescere il vostro dolore con le mie lamentanze. E più voglia ho di piagnere, che di scriver lunga querela. Datevene pace, se potete: ed apparate con questo tanto, e sì repentino danno vostro a sprezzare ogni cosa: ed a temer nulla. Vorrei scrivere a *M. Bartolomeo*, e dolermi con lui di ciò: ma non ho tanto animo: e la penna medesima rifugge questo ufficio. Se vorrete pigliar voi fatica di pagar con *S. M.* a mio nome questo obbligo; me ne farete grazia: anzi vi priego a farlo. State sano: che doloroso so che siete assai. A' 18. di Maggio. M.D.XXIX. Di *Padova*.

Il Medesimo a M. Agostino Bevazzano nel Libro V. del Volume II.

Ho veduto i vostri *Versi* a me sopra la morte del nostro Navagero scritti: co' quali voi m'avete comperato tutto: se parte alcuna era di me che vostra non fosse: col vedervi io aver lasciato da parte con l'animo l'onta già stata tra voi; e parlar di lui non solo amichevolmente; ma ancora onoratamente molto. Sono in questa *Elegia* di bellissimi versi. &c.

Il Medesimo a M. Girolamo Negro, nel Libro VI. del Volume III.

La morte del nostro Navagero mi è stata amara, e dolorosa, come giudicate: e non posso racchetarmene: che questa perdita è pure stata troppa due volte pubblicamente, ed alla Patria, ed alle buone lettere. Che pure del mio particolare io me ne passerei: che oggimai sono avvezzo alle triste cose. Ho veduto il vostro bello *Epigramma* sopra ciò. E' stato veduto, e lodato da gli amici vostri qui in *Padova*; dove l'ho mostro io; ed in *Vinegia*; dove l'ha mostro *M. Marco Antonio Michele* nostro. Io l'ho pur pianto anco io non so come: la qual cosa vederete un'altra volta. L'amico fa bene a rallegrarsene: che se M. Andrea fosse visso; gli arebbe fatto vedere quanto egli è lontano da quella prima palma, che egli si crede aver in mano.

Bartholomaeus Riccius de Imitatione Libro I. loquens de stilo Caesaris, ejusque Imitatoribus in Historia scribenda.

Quae mea sententia eo quoque nomine meo animo longe probatior accidit, quod idem ANDREAM NAUGERIUM sensisse memoria teneo, postea vero *Petrum Bembum* hoc ipsum in sua *Historia* fecisse video. quorum duorum praestantissimorum hominum auctoritas tanti apud me est, ut, quum ab illa majorum nostrorum aetate discedo, quae elegantioris *Latinae* dictionis copiam omnem secum extulit, his & recte judicandi, & perquamornate loquendi primas facile concedam. &c. ---------- *Post multa*: Equidem illos soleo, quicumque ii fuere, qui cum *Virgilio* in *Obscaenum Deum* tam erudite, tam eleganter lusere, caeteris ejus generis (*Epigrammatum*) Scriptoribus facile anteferre. idque jure optimo facere videor, quippe qui & inventione minime vulgari, & dictione, quae germane *Latina* sit, aeque reliquis antecellant. Quod unus NAUGERIUS & vidit primus, & omnium imitatus est optime.

Idem de Imitatione Libro II. Editionis Manutianae anni 1545. loquens de iis qui dicendi facultatem studiose excoluerunt.

Ex quibus, ex iis qui proximi decessere, quatuor mihi in primis occurrunt, nulla umquam singuli satis laude commendandi, ANDREAS NAUGERIUS, *Petrus Alcyonius*, *Christophorus Longolius*, *Julius Camillus*. Sed NAUGERIUS eo judicio vir fuit, ut nulla in re, quam ipse scripsisset, quamquam in ea caeteris omnibus facile satisfecisset, sibi quidquam satisfaceret. quare etiam eveniebat, ut non ita crebro ad scribendum accederet: quin etiam, quod moriens secum habuit in *Gallia*, ubi Patriae suae Legatus decessit, paucis horis antequam moreretur, ante oculos suos comburi jussisse fertur. hic autem quidquid habuit, quod quidem plurimum fuit, id totum habuit a natura, in quo si vel mediocre studium adhibuisset, nulli dubium est, quin reliquos omnibus scribendi virtutibus facile superasset. certe, quod perrarum est, in eo viro non defuit, ut in utraque scribendi ratione aeque egregie excelluerit. ---------- *Post pauca*: Ea igitur inventionis, quod ad imitationem attinet, ratio est, ut ad aliorum imaginem aut similia, aut diversa nobis adinveniamus. in similibus, ut multi in *re pastoricia* cum *Virgilio Musas* suas exercuere, ut *M. Aurelius Nemesia-*

sianus, *T. Calphurnius Siculus*, ANDREAS NAUGERIUS, persplendide fecerunt. ---------- *Post pauca*: *Petrus Bembus*, quum in sua *Historia* tres haberet, quorum quemvis recte sequeretur, *Caesari* tamen tum maluit, quam aut *Livio*, aut *Sallustio* similior videri; id quod ante eum in eadem *Historia* NAUGERIUM sensisse dicebamus, in qua idem *Posterior Naugerius* praestare egregie dicitur, &c. --------- *Post pauca*: Tantum autem abest, ut NAUGERIUS hac imitandi virtute caruerit, ut caeteris etiam, qui rectius imitarentur, unus omnium in *Epigrammate* majorum viam ostenderit. nam qui ante eum veterum lusus in eo genere versuum imitatus sit, aut etiam animadverterit, exstat nemo. caeteri caeteros, plerique etiam fatuos secuti sunt: unus NAUGERIUS eam viam posteris ostendit, quam veteres optime institerunt. Hujus item est *Damon*, cujus magna pars ex *Galli Virgiliani* imagine conficta est: reliqua ex ejusdem reliquis, ut est ei visum commodius, recte, atque pereleganter conscripta. *Burghetti catelli* lepidissimi interitum misere deflet. hujus luctus imaginem ex *Catulli passere mortuo* totam est mutuatus. id autem quam vere, quam decenter effecerit, ex utriusque versuum collatione facile cognosci poterit, &c.

Idem in Priore Collectione Epistolarum. Epistola I. Libri I. quae ad Petrum Bembum.

Verum postquam NAUGERIUS tuus me admonuit, ut lectionem meam tantum in *Bonis Scriptoribus* exercerem, si in dicendo aliquid proficere cuperem, id non solum praestiti, verum etiam quaedam mihi ex iis ipsis delegi, ex quibus non parum ad eo modo scribendum mihi accederet adjumenti; id autem fuit nobiliorum locutionum delectus, atque observatio. Quae omnia, quoniam quum memoriae non satis fiderem, tum etiam ut magis mihi ea in promtu essent, in suum separatim *Codicem*, atque ex suo literarum ordine descripsi. &c.

Idem in Eadem, Libro IV. Epistola ad Albertum Lollium.

Ex recentioribus *Pontanus* in Poëtica facultate etiam cum antiquis contendit, in solutiori vero oratione, qua una scriptione cum plura conscripsit volumina, saepe etiam impolite scribit. NAUGERIUS mea quidem sententia egregie in utroque scribendi gene-

re laudem magnam tulit. quum neque *Bembus* utrumque inepte faciat; quibus duobus *Aonius* si non antecellit, certe in altero scribendi genere multo graviora, atque etiam difficiliora persecutus est. &c.

Idem in Eadem, Libro VIII. Epistola ad Marium Nizolium.

De *Longolio* alii aliter sentiant, ego ita sentio. Sed id tibi affirmo, ANDREAM NAUGERIUM (nostri hominis judicium) idem sensisse. qui solitus est dicere: *non legisse se post felicioris aetatis viros illos, qui* Longolio *magis* Latine, *ac etiam splendidius loqueretur.* suum cuique est judicium. hoc ejus viri fuit, quem nos secuti sumus.

Idem Libro I. Posterioris Collectionis Epistolarum, Epistola ad Camillum Paleotium juniorem.

Recordor, me jam abhinc multos annos ANDREAE NAUGERIO, homini doctissimo, sed in primis summo judicio, hujus *Heroicum Virgilianum* legisse. is adolescentem istum (*Camillum* patruum) admirabatur, mireque commendabat.

Auctor Vitae Hieronymi Fracastorii.

Sed, exorto demum bello, & everso *Patavino Gymnasio*, quum nunciata esset illi patris mors, & in patriam iter pararet, *Livianus*, *Venetarum copiarum Imperator*, *Musarum* liberalis hospes, & ingeniorum censor longe gravissimus, honestissimis accitum conditionibus in *Academiam* ad *Portum Naonem* institutam in ANDREAE NAUGERII, *Patricii Veneti*, & *Jo. Cottae*, praecellentium Poëtarum, contubernium evocavit. -------- *Post multa*: ANDREAE porro NAUGERII, *Patricii Veneti*, praealtam ingenii vim, atque eloquentiam, & *Joannis Jacobi Bardulonis Mantuani* subtile ac valde acutum in omni Philosophia ingenium, quum vel nulla, vel ea certe pauca, sui monumenta reliquerint, suo de *Poëtica Dialogo*, *Jo. Baptistae Rhamnusio*, tamquam veteri amico & sodali, dedicato, apposite, atque eleganter posteris manare desinivit. -------- *In calce*: Aenea illius, & ANDREAE NAUGERII *Effigies* scite expressa *Patavii* in fornice portae juxta pontem *D. Benedicti* a *Patavina* juventute, atque universo *Gymnasio* salutatur. Quam *Joannes* *Ba-*

Baptista Rhamnusius, supremum amicitiae munus persolvens, addita antiquorum *Arae* pervetusta *Dicatione*, ex ruinis *Salonae* urbis *Dalmatiae* eruta, ad posteritatis solatium, luculenter exornavit, ut eorum memoria, qui arcta viventes inter se necessitudine conjuncti fuerant, & quorum ingenii *Monumenta* in lucem edita *conjunctim* legerentur, a posteris quoque eodem in loco pariter spectaretur. &c.

Marius Nizolius in Epistola ad Lectorem, praefixa suis in Ciceronem Observationibus.

Altera (*Ciceronis Editio*) est *Aldina* forma breviore, quam tum ipse *Aldus*, ut erat homo in corrigendis libris diligentissimus, tum etiam ANDREAS NAUGERIUS, eo tempore vir doctissimus, ante viginti annos emendarunt: & quum antea, ut dixi, *Scripta Ciceronis* confusiora essent, ea in ordinem pulcherrimum redegerunt, ita ut tum primum *Cicero* paulo correctior, & ordinatior in manibus hominum versari ceperit. --------- *Post pauca*: In qua quidem *Editione* (*Lucae Antonii Juntae*) concinnanda, quod ad *Orationes Ciceronis* attinet, usus est *Exemplari correctissimo* ANDREAE NAUGERII, quod olim vir ille eruditissimus, & scriptorum *Ciceronis* studiosissimus, manu propria ex variis, & antiquis Codicibus, innumeris pene in locis castigaverat, ac multis partibus auxerat, *repertis aliquot Orationum membris*, quae in bibliothecis antiquis jamdiu a nemine nec visa, nec lecta delituerant.

Romulus Amasaeus Schola II. de Latinae Linguae usu retinendo.

Et quoniam Historiae mentio facta est: is, quem nuper immaturo fato ereptum *Musae* prope ipsae lugent, ANDREAS NAUGERIUS quantam pro ingenio, judicioque suo, ac multiplici bonarum artium doctrina, quibus ab ineunte aetate deditus fuerat, ad *Venetae Reipublicae Historiam Latinae Orationis* copiam afferebat!

Francesco Guicciardini nel Libro XII. della sua Istoria, parlando dell' Alviano.

A *Vinegia* fu per decreto pubblico seppellito con grandissimo onore nella *Chiesa di S. Stefano*, dove ancora oggi si vede il suo sepolcro; e *l'Orazione funebre* fece ANDREA NAVAGERO, *Gentiluomo Veneziano*, giovane di molta eloquenza.

Pau.

Paulus Jovius in Elogiis Virorum literis illustrium.

ANDREAS NAUGERIUS, *Patricii Ordinis*, *Sabellico Venetiis* profitente, *Latinas literas*, *Graecas* autem a *Marco Musuro Cretense Patavii* hausit. Sed in *Latinis* delectu, ac observatione praeceptore diligentior, illum, quem superior aetas insalubri atque aspera stili novitate delectata contemserat, candorem antiquae puritatis assecutus est: ut *Funebribus Liviani Ducis*, & *Principis Lauretani Laudationibus* apparet. Proposito quidem *Cicerone* ad imitandum, quem *Politianus*, & *Hermolaus* fastidisse videbantur, utpote qui omnis eruditionis exundante copia instructi, aliquid in stilo proprium, quod peculiarem ex certa nota mentis effigiem referret, ex naturae genio effinxisse nobilius putarint, quam servili imitatione enata ad novam frugem ingenia distorsisse. Magno tum quidem probro erat doctis, ridendis pares simiis videri. Eodem quoque praestanti judicio, quum *Epigrammata* lepidissime scriberet, non salsis aculeatisque finibus, sed tenera illa, & praedulci prisca suavitate claudebat; adeo *Martiali* severus hostis, ut quotannis stato die *Musis* dicato, multa ejus volumina, tamquam impura, cum exsecratione *Vulcano* dicarentur. Nec minore felicitate *Etruscos numeros* attigit: sed in *Liviani* contubernio castra secutus, studiorum diligentiam remisit; & salubri quidem remedio, quum ingenium bilis atra, veterum lucubrationum vigiliis accersita, haud leviter afflixisset. Propterea scribendae *Venetae Historiae* munus a *Senatu* demandatum, acceptoque liberali stipendio susceptum, praestare non potuit: quamquam non desint, qui eum in ipso statim limine feliciter exordientem, religiosi operis gravitate deterritum existiment, quum infinita curiositate, summoque labore, & pertinaci memoria tantarum rerum notitia paranda videretur. Verum in ea cogitatione, ut *Reipublicae* operam praestaret, a *Senatu* ad *Carolum Caesarem* in *Hispaniam* missus, infaustam Legationem suscepit, quum in id tempus incidisset, quo *Italiae* Principes servitutis metu ad arma consternati, affectanti dominatum *Italiae Caesari* restitissent. Secunda autem suscepta Legatione, quum exitiali festinatione, mutatis ad celeritatem jumentis, in *Galliam* percurrisset, vix dum salutato *Rege*, *Blaesio in oppido ad Ligerim* febre correptus interiit, quadragesimo septimo aetatis anno, omnique eum funeris honore *Rex Musarum amicissimus*, nec sine luctu, prosecutus est.

L' Auto-

L'Autore delle Annotazioni sopra le Storie del Giovio.

Tre grand'uomini, e miracolosissimi in tutte le scienze, e politezza delle lingue furono: *Giovanni Basadonna*, ANDREA NAVAGERO, e *Pietro Bembo*.

Marcantonio Flaminio in una Lettera scritta a M. Basilio Zanco, difendendosi per aver formato il vocabolo floricomus; *la qual si legge nella Raccolta di Lettere di diversi Eccellentissimi Uomini, stampata in Venezia per Gabriele Giolito. 1559. a carte 253.*

Io non posso esser capace (*intendi*, *osservando tutte le circostanze dal Flaminio in questa Lettera annoverate*) che si debba biasimare un Poeta moderno, che per ornamento de' suoi versi formi un vocabolo: come per esempio il NAVAGERO trovò formati da' buoni Poeti antichi questi vocaboli: *ignipotens*, *armipotens*; e forma a questa similitudine *silvipotens*: e chi sarà così rigoroso, per non dir peggio, che ardisca di biasimare il NAVAGERO, dovendolo lodare? &c.

Il Doni nella Parte II. de' suoi Marmi, inducendo Francesco Coccio a ragionare con Alberto Lollio, e con Paolo Crivello.

Stampò (*Aldo*) molte opere *Latine*; e fra l'altre quelle di *Cicerone* col giudicio, e con la correzione del NAVAGERO, uomo di grandissima speranza, cui voi molto bene dovete aver udito ricordare, e forse letto delle cose sue.

Joannes Casa in Fragmento cujusdam Orationis funebris, pag. 270. Operum Latinorum, Editionis Florentinae anni 1707.

Quanti autem illud faciendum est, quod bonas nobis illa Civitas (*Venetiae*) artes alere atque educare numquam intermittit? Quod tam est doctorum hominum, summorumque ingeniorum ferax & fertilis? Quod *Hermolaum* illum *Barbarum*, quod NAUGERIUM, quod *Bembum*, quod alios prope innumerabiles, quod te, *Contarene*, nobis edidit atque procreavit?

Petrus

Petrus Justinianus Historiarum Venetarum Libro XIII. Editionis Venetae anni 1576.

Quo tempore ANDREAS NAUGERIUS, vir literarum studiis praestantissimus, Orator a *Veneto Senatu* creatus in *Galliam* ibat, qui dum per horridam hiemem incredibili equi cursu ad *Blessum Civitatem* pervenisset, viae jactatione in adversam valetudinem incidit, paucisque diebus ea in urbe morbo conflictatus, interiit. Nuncio de NAUGERII obitu *Venetias* allato, Civitas non vulgari moerore affecta est: nam praeclarae, insignesque in eo viro animi dotes elucebant, quarum fama per omnem *Europam* ejus nomen celebrabatur.

Q. Marius Corradus Libro XIII. de Lingua Latina.

Luserunt alia doctissimi viri, *Pontanus*, *Castillio*, *Varchius*, *Jo. Baptista Arcucius*, *Cotta*, NAUGERIUS, *Fracastorius*, *Amaltheus*, *Marullus*, *Gambara*, *Fascitellus*; quorum tamen scriptis non minus, quam *Virgilii*, *Horatii*, aliorumque veterum, posteritas omnis adjuvabitur.

Jovita Rapicius Libro V. de Numero Oratorio.

At enim, dicat aliquis, desuetudinem ipsam hujus rhythmi, & diuturnam apud multos rei hujus ignorantiam, desperationem afferre posse. At mehercule *Pontani Urania*, & *Horti Hesperidum*: *Fracastorii Syphilis*, & *Synceri de Virginis Partu libri*, & pauca ANDREAE NAUGERII, pauca item *Cottae poëmata* facile declarant, non esse desperandum, quin intermissa, & diu desueta in consuetudinem revocari aliquando possint. quum enim poëmatum recte scribendorum ratio diu latuisset; & malos versificatores *Latini* plurimos, Poëtam nullum haberent, hi quasi de Caelo demissi sunt, qui desitae, & prope obsoletae artis observatione, pertinaci bonorum imitandorum studio, multaque, & jugi exercitatione tantum profecerunt, ut cum antiquis Poëtis conferri jure possint. itaque horum poëmata, ut primum perspecta sunt, quasi quaedam *Phidiae signa*, statim ab omnibus ita sunt probata, ut artem poëticam, quam prius quasi sopitam, ac jam prope exstinctam, lugebamus, eam nunc tantorum, & tam excellentium virorum ingenio, & arte suscitatam gaudeamus; &c.

Ber-

Bernardinus Parthenius Libro II. de Imitatione Poëtica.

NAUGERIUS ornatissimus, atque elegantissimus, cogitationibus poëticis novis, praeclarisque instructus, varius, & ad nihil non aptus. Sic natus videtur, ut primae sibi in hac laude deberentur, si in vita, atqu e otio illi diutius manere per Rempublicam licuisset. Hujus in omnium carminum genere multiplex ingenium admiror, & simul illam felicitatem quodvis ita fingendi, ut eos, in quos mentem, animumque intenderet, quasi transformaret.

Bernardinus Scardeonius de Antiquitate Urbis Patavinae Libro I. Classe II. Capite de obsidione Patavii anno Domini 1509.

De hac autem obsidione (ut ad propositum redeamus) ANDREAS NAUGERIUS P. V. vir tum *Graecarum*, tum *Latinarum literarum* cognitione, ac praesertim Poëtices, inter illustriores nostri saeculi scriptores habitus, elegantissimum hoc Carmen (*Urbs, quam vetusto* &c.) ludens cecinit. Quo tempore in *Bartholomaei Liviani, Veneti exercitus Imperatoris*, contubernio castra secutus, studiorum diligentiam remiserat: & in ipsa urbe nostra *Patavina* oblectandi animi caussa, veterum lucubrationum negotiis fessi, se ad otium transtulerat.

Jo. Michaël Brutus Epistola ad Paulum Theupolum, Libro I. Epistolarum Clarorum Virorum.

Neque enim, etsi est *Petrus Bembus*, & ANDREAS NAUGERIUS mortuus, summi homines, & quorum est apud posteros merito futurum semper illustre nomen; simul etiam cum iis est lumen eloquentiae in Civitate exstinctum. Neque vero hoc tempore unus, cujus haec est haereditaria laus, *Bernardus Naugerius* scribendi gloria excellit: neque, si id fieri possit, Patriae caussa velit. &c.

Niccolò Franco a M. Bernardo Navagero, nel Libro II. delle Lettere.

E' in un grand'errore chi non crede, che i beni dell'animo si possan lasciare per ereditate a quegli, a i quali per prossimo grado di sangue si posan lasciare gli altri beni. E chi ne dubitasse, se n'accerterà, purchè miri a quel, che fu il GRANDE ANDREA NAVAGERO nella facoltà poetica, ed oratoria, e nella pro-

fonda cognizion di tutti i tesori *Greci*, e *Latini*, ed a quel che siete oggi voi; perchè scorgendo senza differenza alcuna tutte le fiaccole de i pellegrini raggi dell'uno risplendere ne i parti dell'altro, sarà costretto a credere, come lo spirto suo, pria che si partisse da noi, v'abbia costituito erede di ciò, che tenea in pegno dalla gloria, e dalla fama. &c.

Francesco Sansovino nel Libro VIII. della sua Venezia.

E nel quadro più oltre di *Tiziano* vi erano al naturale *Pietro Bembo*, che fu *Cardinale*, *Jacomo Sannazaro*, nobilissimi Scrittori nella lingua *Latina*, e *Volgare*, ed ANDREA NAVAGERO.

Paolo Paruta nel Libro III. della Parte I. della sua Storia Veneta.

Fu il corpo dell'*Alviano* portato a *Venezia*, ove se gli celebrarono con molta magnificenza l'esequie, e fu con *Orazione funebre* lodato da ANDREA NAVAGERO, uomo di eccellente ingegno, chiaro per l'erudizione delle lettere, e per gli studj dell'eloquenza.

Il Medesimo nel Libro VI. della Parte I.

Ma il NAVAGERO grandemente infermato, prima che in *Francia* giungesse quest'ordine, era già uscito di vita con grave perdita della Repubblica, e con sommo dispiacere di tutti, perocchè era lungamente versato con singolar sua laude negli studj delle lettere, e datosi poi al maneggio delle cose pubbliche, dimostrava grande ingegno, e prudenza civile.

Julius Caesar Scaliger Poëtices Libro VI. qui & Hypercriticus.

NAUGERII stilus generosus totus: semper enim aliquid vult, quantum potest. *Ecloga* tamen ad JULIUM PONTIFICEM minus suavis est; nihil enim affert novi, quod excitet.

Jacobus Augustus Thuanus Historiarum Libro XII.

Aeneae illius (*Fracastorii*) & ANDREAE NAUGERII, *Patricii Veneti*, viri doctissimi, *Effigies* scitissime expressae *Patavii* in

Bene-

Benedictino fornice visuntur, a *Jo. Baptista Rhamnusio* utrique amicissimo positae, addita antiquae *Arae* pervetusta *Dedicatione* ex ruinis *Salonae* urbis erutae, ut qui arcta inter se necessitudine conjuncti vixerant, & pulcherrimarum rerum scientias, ac politiores literas adeo excoluerant, eodem in loco spectarentur, & a juventute *Patavina*, universoque *Gymnasio* quotidie salutarentur.

Joannes Matthaeus Toscanus in Peplo Italiae.

NAUGERII, *Patricii Veneti*, *Carmina* candidissima suavitate condita sunt. *Orationes Tullianam* repraesentant eloquentiam. Edidit & in *omnia Ovidii Opera Annotationes*.

Andreas Maurocenus Historiarum Venetarum
Libro I. ad annum 1523.

Ad *Caesarem* duo praestantissimi *Senatores* (*missi sunt*) ANDREAS NAUGERIUS, *Laurentius Priolus*.

Idem Libro II. ad annum 1525.

Senatus vero ANDREAE NAUGERIO, & *Laurentio Priolo* in *Hispanias* profectis, ut eodem officii genere uterentur, & de prospero ad *Ticinum* praelio *Caesari* gratularentur, injunxit.

Idem Libro III. ad annum 1529.

Nondum his *Senatus literis* in *Galliam* allatis, ANDREAS NAUGERIUS gravissimo morbo conflictatus, *Blaesis* excessit, vir excellenti ingenio, omnibus disciplinis, politioribusque praesertim studiis instructus: a prima juventa, *Bartholomaei Liviani*, terrestrium copiarum Imperatoris, consiliorum particeps, atque itinerum comes: mox accedente aetate, summis negotiis apud summos Reges assuetus, cui ob singularem facundiam, maximarumque rerum usum, *Decemviri Historiae Venetae* conscribendae onus detulere, licet illius fructus, acerrimi ingenii censura ex testamenti tabulis concrematis libris, ad posteros minime pervenerit: ex cujus obitu summus omnium ordinum Civitatis moeror fuit.

Idem Opusculorum pag. 219. Epistola ad Aloysium Lollinum, Episcopum Bellunensem.

Sed jam ANDREAS NAUGERIUS me vocat. ----- gravi morbo correptus excessit e vita, supremisque tabulis *Venetarum Rerum Historiam* a se conscriptam cremari jussit; atque utinam (quod de immenso *Virgilii Opere* ab *Augusto* factitatum legimus) exstitisset aliquis, qui tantam inhibuisset jacturam, nociturumque posteritati incendium exstinxisset; *Reliquiae* enim eximii *Poëtae* atque *Oratoris Operum*, illius *scriptorum* suavitatem, elegantiam, robur, ac nervos facile ostendunt.

Lorenzo Pignoria nel fine del suo Libro delle Origini di Padoa.

Perchè non rimangano vuote quì e vacanti le seguenti facciate di carta, io ho determinato di onorarle con alcuni *Versi* di ANDREA NAVAGERO, Poeta incomparabile per delicatura, e per maestà. Sono composti sopra una contrada amenissima della nostra Città, che noi chiamiamo con nome di secento anni *Vanzo*. Non furono mai stampati ch' io sappia, ed io gli pubblico con qualche mancamento ancora, come stanno in un mio *Manoscritto*, che io non ho voluto alterare: *Blanda o Naïadum* &c.

Angelo Portenari nel Libro III. della Felicità di Padoa, al Capo XIII.

Il quinto ponte di *S. Benedetto* non è molto antico, imperocchè *Giovambatista Rannusio*, *Segretario del Consiglio degli Eccellentissimi Signori Dieci*, procurò nell'anno 1551. che fosse fatto; ad istanza anco del quale fu aperta la muraglia vecchia, e fatto il portone, per il quale si passa al ponte, quale anche adornò con le *Immagini di bronzo* di ANDREA NAVAGERO, *Gentiluomo Veneziano* dottissimo, e di *Girolamo Fracastorio*, Poeta celebre: vi pose anco una tavola di marmo d'una antichissima *Dedicazione d'Altare*, che fu ritrovata nelle ruine di *Salona Città* della *Dalmazia*.

Gerardus Joannes Vossius de Scientiis Mathematicis, Capite LXV. §. XII.

Fracastorius domo *Veronensis Patavii* studiorum cultum cepit, prae-

praeceptore *Petro Pomponatio Mantuano* in Philosophia usus; Condiscipulis *Caspare Contareno* postea *Cardinale*, ANDREA NAUGERIO, & *M. Antonio Contareno*, *Patriciis Venetis*, *Pomponio*, & *Luca Gauricis* fratribus, ac pluribus aliis.

Jacobus Thomasius de Plagio Literario, numero 409. *referens verba Sturmii e Praefatione in Phrases ipsius.*

Creditur *Doletus* a NAUGERIO, quum apud illum *Venetiis* ageret, adjutus, *Commentariorum* suorum materiam in patriam suam, & in *Gallias* deportasse.

Giovanmario de' Crescimbeni, Custode d'Arcadia, ne' Commentarj della Volgar Poesia, nel Libro IV. della Parte II. del Volume II. a gli anni di Cristo 1520. *della Volgar Poesia* 336.

ANDREA NAVAGERO, *Nobile Viniziano*, Poeta, Oratore, ed Istorico insigne, ancorchè il suo principale studio fosse intorno alla lingua *Latina*, nella quale adoperò sì in prosa come in versi con tanta purità ed eleganza, che le sue Opere possono paragonarsi con quelle degli Antichi; nondimeno anche alla *Volgare* attese; e non men culto, e giudizioso vi si fece conoscere. Fiorì egli circa gli anni 1520. ed appunto in quel tempo, che altri chiari Letterati procuravano col maggior fervore di rimettere in piedi il buon gusto nello scrivere *Toscanamente*. Tra questi valent' uomini anch' esso fu annoverato; e a dir il vero le sue *Rime* che vanno inserite per le Raccolte, e particolarmente in quelle degli eccellenti Autori, donde abbiamo estratto il saggio (*a*), apertamente manifestano, che egli era uno de' più esatti imitatori del *Petrarca*, che in quei tempi fiorisero: ma sopra il tutto spiccava nelle invenzioni poetiche: il che avverte anche il *Dolce* allorchè di lui parla nel *Dialogo de' Colori*. (*b*) Per lo suo gran credito, non solo nelle materie letterarie, ma anche nelle politiche, la Repubblica della sua Patria molto di lui si valse, appoggiandogli la compilazione della sua *Storia* insieme colla cura o soprantendenza della *Biblioteca Nicena*, e spedendolo a diverse Regie imbasciate; nell' ultima delle quali, che fu a *Francesco Primo Re di Francia*, morì in *Blesio* d'età d'anni 44. (*c*) nel 1529. ne può esprimersi quanto quel *Re*, amicissimo anch' esso delle *Muse*, ne sentisse dolore, e con


qual

qual pompa onoraſſe i ſuoi funerali, i quali furono accompagnati da molti nobiliſſimi componimenti poetici, che in parte ſi veggono inſieme col ſuo *Ritratto*, tra le *Immagini del Reuſnero* (*d*); tra i quali degno di ſpezial riſguardo n'è uno di *Gian Matteo Toſcano*, che lodandolo particolarmente di celebre compoſitore *d'Epigrammi*, conclude:

Hunc ergo pueri, puellulaeque
Crebri volvite, quippe Martiale
Nec doctum minus, & magis pudicum.

Moltiſſimi poi ſono gli Scrittori, che di lui onorevolmente parlano; tra' quali debbeſi il primo luogo al dottiſſimo *Fracaſtoro* che gl' intitola la ſua *Poetica*. e a noſtri giorni, e al noſtro propoſito ne ha rinnovellata la memoria il *Muratori* nel ſuo nobil *Trattato della Perfetta Poeſia Italiana* (*e*).

(*a*) lib. 4. delle Rime di diverſi eccellenti Autori, ſtampate in Bologna 1551. in 8.
(*b*) pag. 67. ſtampato in Venezia 1565.
(*c*) Lettera a Lettori delle Opere Latine del Navagero, impreſſe in Venezia 1544.
(*d*) Icones Claror. Viror. Nicolai Reuſneri M. 5.
(*e*) t. 2. pag. 276.



JOAN-

JOANNIS CHECCOTII VICENTINI

EPIGRAMMA

IN EDITIONEM OPERUM

ANDREAE NAUGERII

A Jo. Antonio Vulpio J. U. D. procuratam.

Ἀλλὰ τίς οὐκ οἰκτρόν σε πολὺ καὶ σχέτλιον εἴπαι
ΝΑΥΓΗΡΙ; ὃν γαίᾳ ζῶντα ἐν ἀλλοδαπῇ·

Πολλὰ θεοὺς τιμῶντα ὡς νόστιμον οἱ ἐπινεῦσαι
Ἦμαρ, ἀεικελίως εἵλετο μοῖρ' ὀλοή.

Τόσσα δὲ Μουσάων πινυταῖς πεποιημένα χερσὶν,
Τόσσα γέμοντα ἄκρας βιβλία σωφροσύνης,

Ὥστε κείνην Εὖρός τε Νότος τε φέρουσιν ὁμίχλην,
Φεῦ, φεῦ, τῆς λήθης πικρὸς ἀνεῖλεν ὀδούς.

Τίς δ' οὐκ αὐχίονα πάλιν εὐδαίμονά τ' εἴποι;
Ὁππότ' ἔρως χαρίτων ΟΥ'ΛΠΙΟΣ εὐπλοκάμων,

ΟΥ'ΛΠΙΟΣ, ὃν Λητοῦς μάλα τιμᾷ καὶ Διὸς υἱός·
Οἷα φίλη μήτηρ, ἠδὲ γλυκεῖ' ἄλοχος

Ἀνδρὸς ἐπερχομένη λευκ' ὄστεα, λείψανα πάντα
Δέξατο, καὶ νεαρὸν κόσμον ἔδωκεν ἔχειν.

Ὦ μάκαρ, ὡς πολὺ νῦν μᾶλλον σέθεν οὔνομα λάμπει,
Ἢ ὅσον ἀπείρου νυκτὸς ἔβλαψε φθόνος.

Χαῖρε κόνις, καὶ τῶν τιμῶν ὤναι' ἐνὶ τύμβῳ,
Καὶ σὺ πνεῦμα σοφὸν χαῖρε ἐν Ἠλυσίῳ.

IDEM

IDEM LATINE,

Eodem Interprete.

NAM *quis te miserum non dixerit, & male natum,*
NAUGERI? *cara quem procul a Patria*

Optantem longos reditu finire labores
Pallidus infernis obruit Orcus *aquis.*

Quid memorem aeterno stillantes nectare libros,
Quos Musae *argutis texuerant digitis?*

Hei mihi, ceu nebulae ventorum sponte feruntur,
Omnia Lethaeo *perdita dente jacent.*

At nunc felicem fugiat quis dicere? quando
VULPIUS, *auricomae quem pereunt* Charites:

Cui pulchra assurgit proles Latonia*: mater*
Ut bona, vel multis candida cum lacrimis

Conjux ossa viri quaerit, sic undique lectas
Perfudit claro lumine relliquias.

Felix, ah quanto recipis cum foenore quidquid
Abdiderat longis invida Nox tenebris!

Eja agite officio cineres gaudete sepulti,
At docta in Campis *gaude anima* Elysiis.

AN-


ANDREAS NAVGERIVS
EX AENEA EFFIGIE
POSITA PATAVII
IN FORNICE
AD PONTEM
D. BENEDICTI.
NAVCELVS

ANDREAE
NAUGERII
PATRICII VENETI
OPERA LATINA,
Et primum quae ſoluta Oratione ſcripta exſtant.

ANDREAE NAUGERII
PATRICII VENETI
ORATIO HABITA IN FUNERE
BARTHOLOMAEI LIVIANI.

SI, QUANTUM in me doloris est, tantum esset ingenii: sperarem profecto, parem me BARTHOLOMAEI LIVIANI laudibus orationem habiturum. Quum vero ingenium vel minus etiam, quam mediocre, sit: tantus autem mentem dolor opprimat, ut is vel maximi cujusque ingenii vires possit infringere; siquidem flendum sit, nullus me magis idoneus: si praeclarissimae maximi hujus Imperatoris laudes celebrandae, nullus minus reperiri potest. Sunt illae quidem tam illustres, ut omnium oculos in se trahant: ut nemo sit, qui eas non videat; quoties tamen mihi in mentem venit, quam alieno hic tempore nobis ereptus sit, concidit animus: quaecumque dicere institui, e memoria omnia dilabuntur. Dolere solum juvat. doleo meo, doleo ipsius, de-

leo Reipubl. nostrae, doleo bonorum omnium, qui ubique sunt, nomine. Meo, quod illum, qui me unice amabat: quem ego velut instar quoddam antiquitatis admirabar: tum, quum minime id timerem, amisi: Ipsius; non quod mortem obierit (ea enim conditione natus erat, ut aliquando moreretur) sed quod, quum unum maxime expeteret, unum a Diis immortalibus votis omnibus optaret, ut Reipublicae nostrae in eum gradum restituere imperium posset, ex quo proximis bellis collapsum erat; quum jam prope esset, ut id perficeret, subita morte interceptus, voti compos fieri non potuerit: Reipublicae nostrae nomine doleo, quod, quum illa, hoc gubernante, e maximis, ac turbulentissimis tempestatibus saepe servata, portum jam aspiceret; erepto malo quodam fato gubernatore, medio in cursu sit relicta. Substituistis vos quidem, Patres optimi, fortissimum, ac sapientissimum virum, quo ad gubernaculum sedente, omni timore vacui esse debetis; interruptus tamen est cursus ille, secundus ille flatus deseruit: multae possunt in infido hoc mari exsistere tempestates, quae, si non submergere, at perturbare tamen res nostras queant. jam vero tantum in illo bonis omnibus praesidium semper fuit, ut, hoc uno amisso, omnia mihi jam amisisse videantur. Haec ipse quum mecum cogito, communemque hanc jacturam ante oculos mihi propono; ita succumbit dolori animus, ita avocatur ab instituto suo mens, ut quo me vertam, quod principium sumam, nesciam. In vos quidem universos quum intueor, tristem mihi quamdam ipsius moeroris faciem videre videor. doletis omnes, moesti estis

estis omnes; sed quo magis doletis, hoc diligentius funus ducitis: honores mortuo, quos potestis, redditis: frequentes ad me audiendum coitis. ita vos ad ea, quae debetis, praestanda dolor adjuvat: mihi ad ea, quae debeo, maximo est impedimento. Cohibebo eum igitur; nec committam, ut minus ego gratus in meo obeundo munere, quam vos in vestro estis, fuisse videar. Solent omnes, qui quempiam laudant, quasi praescripto quodam, patriam, genus, educationem illius laudare; neque, id quum faciunt, sine certa ratione faciunt. Ut enim plantae, quum bono e genere lectae, feraci solo depactae, frequenti adjutae cultura sunt, tum demum uberes fructus ferunt: sic in hominibus, caeterisque animalibus, genus, patria, educatio, multum refert. Quod quamquam ita sit, aliam tamen ego quamdam in Imperatore hoc nostro rationem sequar. omnia, quae vere alicujus dici non possunt, praetermittam: animi virtutes, quae illius, in quo insunt, vere esse dicuntur, eas dicam. Neque id a me tamen eo fieri arbitramini, quo is ignobili patria ortus, obscuro genere natus, male educatus sit; sed & majora sunt ea, quae mihi proposui, &, haec si persequar, longior sim, quam aures vestrae pati possint. Quid enim? ROMAM laudem? at ea, si brevitati consuluero, multis laudibus defraudanda: si omnia explicare voluero, vel perpetua multorum scripta repetenda. de LIVIORUM genere dicam? unus *Salinator* totum diem exposceret. Possem equidem de *Francisco Bartholomaei* ipsius patre, fortissimo, & clarissimo suae aetatis viro, dicere; sed nolo ex hoc rivulo in id flumen laudem derivare, ex quo in ejus etiam majores laus maxima redundat. At pueritia sub

ſub *Napolionis Urſini* diſciplina acta, ſub *Virginii* adoleſcentia, commemoranda ad majora feſtino. Ego quum agrum fecundum video, etiamſi, ut cultus ſit, neſcio, neque agricolae laborem conſpicio; ex ipſo tamen fructu bene cultum judico: vos item, quum maximarum virtutum proventum, qui vere animi fructus eſt, videritis, bene cultum animum exiſtimare debetis. his ergo omnibus jam relictis, ad ea, quae mihi dicenda propoſui, veniamus. Saepe ego mecum (quod & veſtrum cuilibet ſaepenumero evenire arbitror) ea, quae de veteribus memoriae mandata ſunt, repetere ſoleo. quum magnos illorum temporum viros ante oculos mihi propoſui; praeclaros quidem multos, multos omni laude dignos invenio: ſed unus eſt *C. Caeſar*, quem admirer. ac fuit, quum multa, quae de eo dicerentur, ficta eſſe arbitrarer, neque tot tam diverſorum generum virtutes cadere in unum hominem poſſe cenſerem. hanc mihi *Bartholomaeus Livianus* incredulitatem ademit. *Caeſarem* ille omnibus, quicumque umquam fuerunt, Imperatoribus anteponebat: *Caeſarem* maxime imitabatur. felicitatem aſſequi ejus non potuit (neque enim hoc in nobis eſt): virtutes ita aſſecutus eſt, ut nemo umquam illi ſimilior fuerit. Ac ne mihi hoc loco ea, quae de *Caeſare* ſcripta ſunt, ſint repetenda; quae in hoc fuerunt, dicam: vos ea, quae legiſtis, taciti ſubjicietis. Primo quidem, quoniam de Imperatore loquimur, imperatoriae omnes virtutes ita ſummae in hoc fuerunt, ut in nullo magis. Conſilium in Imperatore ſummum eſſe decet; niſi enim, quae agenda ſunt, prius conſuluerit: caſu quaſi quodam res ejus omnes ferantur, neceſſe eſt. neque hoc tamen ſatis. quum

recte

recte quidpiam consultum est, tum industria etiam quaedam, ac celeritas ad id perficiendum requiritur. Quantus in ambobus his fuerit Imperator noster, e multis praeclarissimis rebus ejus gestis licet cognoscere. sed ego omnia non persequar: pauca quaedam perstringam. Bello illo, quod inter *Gallos* atque *Hispanos* super *Neapolitano* regno acerrimum fuit: eo praelio, quod ad *Lirim* gestum est, *Hispanis* adfuit. longe superiores numero *Galli* erant: objecerant se tamen illis *Hispani*, quo transitu fluminis prohiberent; sed quum hostium quotidie vires crescerent, nemo prope in toto exercitu erat, qui non ab incepto desistere, & munito se loco continere tutius arbitraretur. Unus hic id sensit, quod solus nostra aetate ob res gestas *Magnus* dictus, tunc *Hispanorum* Imperator, & secutus *Consalvus* est, & ei, ut perficeret, commisit. itaque ille pontem in *Liri* paucissimis diebus, semota quadam parte, tam secreto, ut id *Galli* numquam rescierint, conficit: maximo silentio exercitum traducit: hostes viribus suis confidentes, ac nihil tale suspicantes, de improviso adortus, in fugam vertit. tanta caedes facta, ut, qui e bello superfuerint, deditionem facere coacti sint. hoc ob facinus, ab egregio illo, ac maximo Imperatore ita laudatus est, ut multa etiam praemia & ab illo, & ab *Rege* postea ipso consecutus sit. Sed quid ego ea, quae pro aliis gesserit, conquiro? nonne maxima sunt ea, quae plurima pro nostra Repub. nostros ante oculos, his bellis proximis, facinora edidit? *Germanico* bello, quum omnes in nos aditus effera illa gens tentaret, omni ex parte in nostros fines irrumpere conaretur; *Cadubriensi* cruento illo praelio

lio non solum compescuit, sed & multa eorum oppida vi cepit: atque eo tandem redegit, ut potius, quemadmodum sua tuerentur, quam, ut aliena invaderent, cogitarent. Atque ipsum illud praelium quomodo gestum est? occupato *Cadubrio*, perfracta jam *Alpium* claustra, jam patefactum in nos iter *Germanis* omnibus credebatur. & profecto, nisi admirabilis quaedam viri hujus virtus ipso in tempore subvenisset, turbulentissima tum procella illa res nostrae omnes procubuissent. Magnae, quae jam aderant, copiae in dies augebantur: tota in nos se effusura *Germania* videbatur. quid hic interea? quum longissime abesse putaretur, ducto magnis itineribus per aspera quaedam loca, atque oppleta nivibus, exercitu, qua ne feris quidem umquam aditus patuisset; ita derepente & a tergo, & ab omni parte se hostibus ostendit: ita omnem inclusis fugae spem intercepit: ut subita illi atque inexspectata re perterriti, nec quid agerent satis scirent, & ad unum omnes, ne nuncio quidem cladis relicto, caesi sint. Sapiens hoc, ac salutare nobis consilium fuit, incredibilis celeritas. quum in omnibus haec rebus, tum in bellicis multum valet: hac omnibus *Caesar* praestitit: plura hac, quam militum multitudine, bella confecit. hac noster Imperator nulli secundus inventus est: hac magnis vos saepius periculis liberavit. Ac, ne a *Germanis* discedam: occupaverant proximo illi anno amoenissimam illam, ac vobis opportunissimam *Forojulii* regionem: suburbano vos vestro carebatis; possidebant hostes. magnae equitum, magnae peditum manus ad portum *Naonis* coactae erant. obsidebat *Opsopium* alius exercitus: quod solum oppidum *Hieronymi Savorgnani*, fortissimi,

mi, atque amantissimi Reipub. hujus viri, virtute defendebatur. magni intererat, priusquam id expugnaretur, & hostium vires coirent, iis, qui ad portum *Naonis* erant, occurrere. quin id ageretur, impedimento *Hispani* erant; qui, quum ad *Ateste* oppidum castra haberent, *Patavii* Imperatorem vestrum morari cogebant: neque is se inde commovere sine magno rerum vestrarum periculo posse videbatur. sed persaepe evenit, ut ea facilius fiant, quae factu difficillima putantur. consilium Imperator audaciae plenum capit: omnem spem in celeritate ponit: cum expedita militum manu portum *Naonis* pergit: improvisos hostes occupat: alios caedit: alios capit: urbem recipit: nihil commoratur: magnis itineribus *Opsopium* ire contendit. nescio quomodo elapsus de hac caede rumor paulo ante, quam nostri adessent, *Germanos*, qui oppidum obsidebant, in fugam vertit. ita illi e nostrorum manibus erepti sunt: *Opsopium* obsidione liberatum. Imperator *Patavium* revertitur. *Hispanis*, discessisse, hostes profligasse, rediise, simul omnia nunciata sunt; ita nihil in nos moliri potuerunt. multa cogor praeterire, ne nimius sim; sed hoc nullo pacto praetereundum est, quod eodem anno in *Hispanos* paucis mensibus post id, quod commemoravimus, facinus, gessit. Totis illis aestivis *Patavio* egressus castra munitis locis habuerat: &, quum eo amplius, ob militum paucitatem, non posset; satis a se fieri arbitratus erat, si hostem praeda, ac populationibus prohibuisset. His hoc pacto ductis, quum ad *Rhodigium* jam *Hispani*, & propinqua circum loca, in hiberna concessissent, & hic se tutissimos tum objectu *Athesis* arbitrarentur, tum, quod nostros

maxime despiciebant: ut qui numquam tota aestate, nisi ad tumultuaria bella, castris progressi essent; occasionem sibi oblatam Imperator noster ad egregium aliquid patrandum ratus, magno itinere tota nocte confecto, ignaris hostibus flumen superat: securos, ac nil tale suspicantes de improviso aggreditur: *Rhodigio* nullis resistentibus potitur: partim obtruncat: partim capit. sic callidissimam illam gentem fefellit. Quod nisi militum lassitudo, quam longo, ac praecipiti ex itinere contraxerant, fuisset impedimento; omnibus, qui vicinis erant in oppidis, deletis, jam tum ab *Hispanorum* jugo nostras has regiones liberasset. Multa praeter haec proferre possem, sed historiam non scribo. virtutes maximi hujus Imperatoris mihi strictim percurrendas sumsi. ac jam satis ostendisse videor, neque in deliberando consilium, neque in agendo industriam in eo umquam desideratam. Sed quum haec in Imperatore necessaria sint, tum id etiam opus est, ne in gerendis negotiis ulli se labori subtrahat, ne pericula declinet; sed his potius se nonnumquam offerat. Mirum est, quam is semper labores omnes non solum non subterfugerit, sed & ultro appetierit. corpore quidem parvo fuit, sed ita tamen a natura compacto, ut laborum omnium esset tolerantissimum. hoc ille, quod a natura habuerat, sic confirmarat, sic exercitatione auxerat, ut unus esset, cui labor omnis voluptas esse videretur. Non illum hiemis, non aestatis vis, non pluviae, non venti, non nives, ab incepto umquam ullo retardarunt. juxta omnia patiebatur. labores omnes primus subibat, postremus ab illis desistebat: vel gregarii militis opera nonnumquam, quum id res posceret,

ſceret, fungebatur. hac re fiebat, ut nemo in toto eſſet exercitu, qui, quum Imperatorem ipſum nulla in re ſibi parcentem videret, non, ultra vires etiam, omnia toleraret. Audite, audite, praeclaram Imperatoris veſtri ſuper hac re vocem, quum ſaepe, omnibus jam fatigatis, ſolus indefeſſus perſiſteret, admirantibus iis, qui aderant, dicere ſolebat: *Non perinde ac militem (ut major etiam ejus ſit labor) Imperatorem fatigari. ad militem nihil ex labore aliud, quam laſſitudinem, pervenire: Imperatoris laborem magna ex parte levari ſpe gloriae, quae conſecutura inde videretur.* O vocem magni indicem animi, eximiae teſtem virtutis, quae ſolam gloriam dignum ſe praemium arbitraretur: caetera omnia putaret contemnenda! At vero in periculis ſubeundis, qua fortitudine ſemper fuit? in hoc quidem multorum reprehenſiones ſaepe perpeſſus eſt, qui audacius ſe periculis objicere illum dicerent, quam deceret Imperatorem: cujus conſilio potius, quam manu, res geri debeat. ſed nae illi parum, quo ſe is tempore periculis objecerit, conſiderarunt. Non eo inficias, Imperatoris conſilium, militum manum in bello expoſci: ſed incidunt tempora, quum vel maxime Imperator ipſe in hoſtes irruere, primum ſe illis opponere debeat: quum ſcilicet laborat exercitus, quum ſuperiores ſunt hoſtes. nonne id aliquando *Caeſar?* nonne alii ſaepe maximi viri fecerunt? at is ſaepius, quam alii: ſaepius enim adverſa laboravit fortuna. An (ut alia praeteream) in *Abduenſi* illa clade, quum omnes in fugam turpiter verſi eſſent, capiendi tum conſilii tempus erat? conſilio ſcilicet inhiberi fuga poterat. & conſilium tamen egregium id dici poteſt, quo uſus eſt: & mul-

tis saepe profuit. in perdita jam re extremum tentavit remedium: expertus est, an, qui aliter sisti non possent; quum solum illum, aut cum paucis pugnantem viderent, pudore adducti in hostem reverterentur. nihil profecit: relictus, vulneribus multis affectus, captus est. at nec medici quidem, quum desperatae jam salutis aegros curant, & periculosa adhibent remedia, semper proficiunt: at arti tamen suae obtemperant, neque reprehendi debent. anceps sit consilium, necesse est, quo profligatis jam rebus succurritur. & nonnumquam tamen bene cedit. Quid proxime? quum conferto jam praelio, ac confecto prope, *Regi* supervenisset: acerrime *Helvetii* incumberent: labarent *Galli:* ita dubia esset victoria, ut inclinata prope *Gallorum* res esset: nondum exercitus noster: ipse tantum, cum iis qui adsunt suis, atque aliis admodum perpaucis, adesset; nonne audax, & periculosum facinus aggressus est? cum paucis illis in confertissimos *Helvetios* irrupit. id tempus exigebat. at irruptio illa *Gallos* restituit, *Helvetios* in fugam vertit, victoriam demum *Regi* faciliorem fecit. Non est cujusquam praestare, quid eveniat: sed, quum nihil eorum, quae recte aestimanti facienda esse videantur, praetermissum est; quicumque sequatur eventus, laudari is, qui id egerit, debet. Adversam ille saepe fortunam perpessus est: numquam sibi ipse defuit: omnia tentavit, omnia expertus est: numquam sine vulnere discessit: nonnumquam etiam in hostium potestatem venit. laudari debet, quod intentatum nihil reliquerit: vacare culpa debet, quod successu caruerit audacia. Sed non in hac solum re fortitudo

omnis

omnis consistit. magnum quidem est res arduas praesenti animo aggredi, periculis se objectare, mortem non timere; sed alia quaedam est etiam fortitudo, ex qua haec ipsa, quasi e radice quadam, pullulat. humana contemnere, casus omnes despicere, nulli homini, nulli fortunae succumbere, altiorem animum habere, quam, ut obrui iis, qui in hac vita sunt, fluctibus posit; id demum est vere fortem esse: hoc qui consecutus sit, mirum si pericula, si mortem non timeat. Fuit haec in Imperatore hoc nostro virtus eximia. humana omnia semper despexit: fortunae ictus ita excepit, ut animo semper esset erectior: numquam victus est, quin validior, tamquam hydra quaedam, in hostem resurgeret; ut mihi, qui adversam etiam fortunam vicerit, numquam victus fuisse videatur. Dicet aliquis: spe quadam sustentatus est: numquam ita est victus, ut se in hostem resumturum vires non sperarit. Funesto illo praelio, quod ad *Abduam* gessimus, captus est: sine ulla exeundi spe, custodiae traditus, ibi per quadriennium fuit. quid interea? languori se dedit? magnum illum animum querelarum sordibus inquinavit? nihil minus. videte, qua tranquillitate fuerit: *rerum suarum commentaria*, *aliquot de re militari libros*, *unum de instruendo exercitu*, conscripsit. O fortitudinem animi singularem! quod alii nullis curis perturbati, pacatissimo in otio, jucundissimis in secessibus; omnibus deliciis invitati, vix faciunt: hic quin ageret, non carcer, non mille animum pertentantes curae, non, qui illum, ne quid scriberet, prohibebant, custodes, impedimento esse potuerunt. multa scripserunt de hac virtute philosophi omnes: ver-

verbis illi, hic vitae exemplis eam ostendit. nec vero caeteris omnibus minus abundavit. Bellicae, quas hactenus diximus, virtutes, speciosae illae quidem auditu sunt: nec sine illis magnus exsistere Imperator potest; sed & aliae tamen sunt, quae & maximo illi ornamento sint, &, quamvis media in acie non versentur, necessariae tamen admodum videantur. Ac primum, quanta Imperator justitia esse debet? haec mater virtutum omnium est, haec regula: sine hac ne latronum quidem coetus perdurare posit. summa in hoc fuit. Duo omnino sunt, quae justitiam magnopere impedire soleant, odium, atque amor. qui odio adducti nihil injusti egerint, perpauci admodum: qui amore, multo reperti sunt pauciores. acriores enim in bonis viris amoris, quam odii, stimuli sunt. neminem hoc ego umquam amicorum amantiorem novi, neminem, qui suos omnes magis dilexerit; eo usque tamen amore provehebatur, ut, quum sua omnia exposita amicis essent, nulli rei, nulli labori, ut illis obsequeretur, parceret: inter justitiae tamen fines permanendum sibi esse judicaret. Magna justitiae pars est pietas. ut ab omni superstitione, sic ab omni impietate longissime absuit. re potius, quam ostentatione ulla, Deos coluit. In parentes is semper fuit, ut, quum puer adhuc esset, numquam tamen cessandum duxerit, dum *Franciscum* patrem a *Paulo Pontifice Maximo* in custodia jamdiu habitum liberarit. Quum vero ii etiam, qui animos nostros rectis excolunt disciplinis: ii, qui nos instruunt, parentum loco sint habendi; qua pietate *Napolionem Ursinum*, sub quo pueritiam egit, semper prosecutus est? Audivi

vi ego saepius hujus de illo sermones: ut optimum virum, ut maximum Imperatorem laudabat: cum ipsa antiquitate comparabat: tam libenter, tam copiose, de ejus virtutibus verba faciebat, ut multis, qui aderant, nimius etiam nonnumquam videretur. Fide, quae fundamentum justitiae dicitur, qua fuerit, si apud alios verba facerem, mihi vel in primis dicendum esse censerem: apud vos, qui eam experti estis, qui aliis testes esse debetis, hoc unum dicam. multos vos quidem habuistis egregios Imperatores: qui tot virtutibus floruerit, fortasse nullum. tali fide omnino nullum habuistis. non amici illam, non hostes umquam desiderarunt. Jam ejus liberalitas, oratione mea ut cognoscatur, non indiget. tot mihi hujus esse possunt testes, quot eam experti sunt. omnibus patebat: nulli fons iste claudebatur. *id vere suum esse*, dicebat, *quod alicui donasset: id fortunae injuriis non subjacere: eo se caeteris ditiorem esse ardentissime desiderare.* Multa tum in privata, tum in imperatoria vita sunt, quae ab gerendis negotiis interpellent: sed majore nihil vi, quam voluptates. apposuit illas sensibus nostris, quasi titillationes quasdam, natura: his quum indulgemus, quum frena laxius remittimus, ab omni alia nos abstrahunt cogitatione. hinc data temperantia est, quae eis moderetur. haec habenas regit: haec in gyrum eas rationis cogit, ac nobis obsequentes facit. haec in Imperatore nostro singularis fuit. Venatione tum, quum in otio esset, plurimum delectatus est: atque ea quidem varie. quum robustiore esset corpore, in agrestes sues ferri, ursos aggredi, in difficillimis quibusque exerceri consuevit. mox ingravescente jam aetate,

te, leporum venationes, falconum aucupia, secutus est. his delectatus, caeteras omnes, quae corpori, atque animo officiunt, voluptates, quantum potuit, aspernatus est: numquam in earum potestate fuit. Epulabatur ille quidem lautissime: plurimi semper cum illo discumbebant: affluebant epulae omne genus: nihil ad regium apparatum deerat; id scilicet splendoris opinabatur. ipse in hac abundantia uno semper cibi genere, & eo viliori, vescebatur. hinc robustum illud, & nullis morbis obnoxium, hinc laborum omnium patiens corpus: hinc modico satiabatur somno: hinc numquam hebeti mente erat. Age vero, quae clementia, quae humanitas in illo fuit? in nullo umquam major. atque hic mihi evellenda quaedam e multorum animis opinio est, quae e quorumdam aut malevolorum, aut res non recte perpendentium sermonibus inhaeserat. Crudelitas clementissimo Imperatori objiciebatur, quod multos saepe milites morte multaret: difficiles ad eum esse aditus dicebantur, quod ira percitus semper esset. de crudelitate primum loquar. Ego, quum veteres illos *Romanós*, quum militarem eorum disciplinam considero, hac una video caeteris eos gentibus praestitisse, hac una eo pervenisse, ut iidem imperii, qui terrarum, fines essent. non calliditate *Poenos*, non *Germanos* vi corporis superabant: disciplina una erat, quae invictos redderet. hanc ita tuebantur Imperatores, ita servabant milites, ut, qui paululum modo in ea deliquisset, nulla ei esset poena recusanda. ob hanc *Manlius* ille *Torquatus* filium jussit interimi; &, quod admirabilius est; filius ipse, qui ad mortem ducebatur,

batur, quum exercitum pro se in patrem seditionem parantem conspexisset, compescuit; affirmavitque, *neminem tanti esse, ut ob illum corrumpi disciplina deberet*. disciplinam ille scilicet, qua patriae vitam sustentari credebat, vitae anteponebat suae. Quid *Appius Claudius*? quid *L. Paulus*? nonne ex iis, qui loco cesserant, decimum quemque securi percussit? nonne idem mitissimus principum *Augustus*? nonne alii Imperatores multi fecerunt? De *Manlio* non loquor: reliqui omnes severi semper, & boni disciplinae custodes, numquam crudeles sunt habiti. crudeles habiti essent, si paucorum quorumdam salutem patriae anteposuissent. Ignari scilicet veteres illi, ac crudeles omnes: nos sapientes, ac mites; qui Imperatores nostros, quum non decimum quemque, ut illi, sed unum, aut alterum ex toto exercitu, militaribus praeceptis non obtemperantem, poena afficiunt, crudeles arbitramur. mirum igitur, si nos exterae nationes omnes contemnunt, nobis omnes insultant. jam in nostros fines, non ut ad bellum aliquod periculosum, sed ut ad praedam expositam veniunt. Pudet, pudet inquam dicere, omnem illam, quae propria *Italorum* esse dicebatur, virtutem amisimus. quod si disciplinam illam veterem sequeremur: si Imperatores, qui restituere eam jam lapsam cupiunt, non crudeles, sed fortitudinis, ac verae virtutis revocatores, crederemus; non audacius illi in nos irruerent, quam nos illos repelleremus. Semper hic vel in hostes ipsos fuit mitissimus; praeter eos, qui in ipso belli furore cecidissent, neminem umquam interemit. Si e militibus quempiam aliquando supplicio affe-

cit: deliquerat ille, militares leges contemſerat: quod vos, ſi veſtrae hae urbanae leges non ſerventur, & facitis, &, ni faciatis, omnia peſſum eant; id in caſtris, ubi, ſi non adſit Imperatorum metus, vis dominetur, neceſſe eſt, fieri non licebit? Solitus eſt *Lacedaemoniorum dux Clearchus* dicere, *Imperatorem a militibus magis, quam hoſtem, metui debere*. recte quidem ille: ſed ego hoſtem metuat miles, nolim: Imperatorem, velim. Sed de his jam ſatis; pauca de iracundia dicam. Iraſcebatur ille quidem nonnumquam vehementius. hoc quum naturae, quae ejuſmodi erat, ut facile irae fluctibus efferveſceret: tum voluntatis etiam erat. volebat ille iraſci (ut ajebat) quod, quum ſe neque corporis proceritate, neque formae dignitate quadam a natura honeſtatum videret; ſi facilis ac mitis ſemper fuiſſet, ne contemtui eſſet, verebatur: *iracundia armari ſe, quaſi aculeis quibuſdam*, dicebat. Sed, ut haec non probetur ratio, atque iracundiorem illum, quam deceret, fuiſſe concedam; quid umquam ira perturbatus fecit, quod ſedato etiam animo non feciſſet? acrioribus uſus eſt verbis: at aequi ac boni terminos numquam praetergreſſus eſt, numquam in bonos viros exarſit: magnam ſemper, & juſtam irae cauſſam habuit. ſi ea caruiſſet, non ille quidem melior fuiſſet vir; ſed omnibus fortaſſe gratior. atqui, quum ea deferbuerat, quam affabilis, quam comis erat? nihil ejus conſuetudine jucundius, nihil ſermonibus urbanius inveniri poterat. Ingenio vero (ut ad id jam veniamus) tam acri fuit, ut, quum literis paululum admodum vacaſſet, tam apte, tam acute, tam cum omnium liberalium artium peritis,

quod

quod saepius facere consueverat, de his ipsis, quae illorum artibus continentur, rebus loqueretur; ut omnia de illis scripta evolvisse, omnia excussisse videretur. qua in re multum eloquentia etiam quadam admirabili adjuvabatur. hujus tantum ex ejus ore flumen profluebat, ut omnes secum, quo vellet, raperet. Audistis vos eum saepe, Patres conscripti, & ita audistis, ut, quum plurimum ejus oratione delectaremini, animos tamen vestros impelli, atque in illius sententiam non invitos trahi sentiretis. fuit haec Reip. nostrae persaepe summopere utilis eloquentia, quum apud vos, tum vero apud milites maxime. si ad pugnam cohortandi erant, nemo acrius incitabat: si aliqua de re castigandi, nemo gravius, nemo severius reprehendebat: si consolandi, nemo lenius aegris animis medebatur. Multa jam a me de maximi hujus viri laudibus dicta sunt; neque id tamen, quod maxime ad rem attinet, quantam militaris disciplinae scientiam habuerit, ullo modo praetermittendum est. Floruit haec quodam tempore maxime disciplina; tunc scilicet, quum veteres illam *Romani* coluerunt. multi tunc in ea viri excellentes, & clari exstiterunt: neque id mirum. omne studium, omnem operam in ea omnes collocabant: eam non solum, quod & opes, & honores pareret, sequebantur; sed, quum variis quotidie vexarentur bellis, neque ulla perfrui quiete possent, necessitate etiam quadam ad illam compellebantur. postquam vero omnibus devictis, pax *Italiae* parta: bella aut nulla, aut longe a domo gerebantur; exarescere, ac collabi paulatim cepit. *Hispaniae*, *Galliae*, *Pannoniae*, extre-

mae caeterae imperii provinciae, suis quaeque legionibus custodiebantur. hae, quum in iisdem locis diutius permanerent, in externos mores paulatim mutatae, in his, quae cuique obvenerant, regionibus, ad hoc usque tempus perseverarunt: disciplinam, assiduis bellis exercitae, non ex toto amiserunt. In *Italia*, in qua vel nullae relictae legiones, vel, siquae relictae, longa pace mollitae, otio se atque inertiae tradiderunt; omnis penitus evanuit. atque eo tandem ventum est, ut paulo supra nostram aetatem, quoties bella *Italis* gerenda essent, conducendus e *Germania*, aut *Pannonia*, miles esset: *Itali* vel tubarum sonum, atque armorum splendorem reformidarent. nostra demum aetate excitari aliquantulum sopita illa virtus cepit: sed pauci tamen, qui antiquam illam disciplinam scirent, inventi sunt. Imperator noster quam exacte illam calluerit, vel ex hoc considerate. quum primum Imperator est vester factus, ita corruptum exercitum accepit, ut ad alia omnia potius, quam ad gerendum bellum, idoneus videretur. fecit id, quod in *Africa Q. Metellus Jugurthino* bello fecit; arctioribus legum vinculis astringendo, continuis laboribus fatigando, ordini assuefaciendo, gravissimam iis, qui locum desererent, poenam proponendo, ita brevi correxit, ut eo & res vestras acerrime tutatus sit, & egregia multa facinora ediderit, & hostibus, quibus antea contemtui erat, formidabilem reddiderit. Adfui ego nuper, quum per eas iter faceret regiones, in quibus, quum ob non satis perspectos incolentium animos, tum ob propinquos hostes, multa timenda essent. tam caute incedebatur, ita ordinem serva-

bant

bant omnes, ita ab agmine discedebat nemo, ita vel calones ipsi sub suis signis ibant, ut ego & Reipub. nostrae maxime gratularer, & disciplinam jam antiquam illam restitutam arbitrarer. Jam vero in reliquis artis hujus partibus, expugnandis, defendendisque urbibus, quantus fuit? nolo nunc vobis, ut septimo ab hinc anno *Carmontium*, *Noriciam*, *Tergeste*, *Postoniam*, munitissimas urbes, in ditionem vestram redegerit, commemorare: nemo est, qui nesciat. hoc unum dicam: jam *Brixia*, jam *Verona* potiti essetis, si saevissima id nobis mors non invidisset. Scio quid loquar, conjectura non fallor; nihil illi invium, nihil satis munitum esse poterat: omnes aditus, omnes expugnationum modos, omnes astus norat. Idem, si aliqua defendenda urbs esset, ita omnibus hostium conatibus ire obviam sciebat, ut nihil in eum tentari posse videretur, quod non irritum fieret. Testis mihi sit celeberrima illa *Braccani* oppugnatio, quam ita toleravit, ut, quum urbs undique innumeris *Alexandri Pontificis Maximi* copiis, qui *Ursinum* nomen delere instituerat, premeretur; hic cum quingentis tantum propugnatoribus resisteret; non solum eam tutatus sit, sed &, facta saepius eruptione, multos trucidarit, tormenta oppugnatoria non pauca abduxerit, ab obsidione desistere demum coëgerit. Sed quid ego aliunde testes voco? satis amplum mihi testimonium praebere urbs una *Patavium* potest. nonne haec ab *Hispanorum*, ac *Theutonum* impetu conservata, his deinde ab illo aggeribus, his turribus, his fossis munita, ut una omnes omnium undique gentium exercitus, omnem vim, contemnere, ac nostrae non solum Reip., sed totius etiam *Italiae* propugna-

gna-

gnaculum quoddam validissimum dici possit? nonne id docet: nihil in hac esse bellorum scientia, quod hujus ingenium subterfugerit? Tormentis quidem illis bellicis, quibus nos ita antiquitatem superamus, ut his jam solis prope bella omnia conficiantur; urbes certe nulla re magis aut expugnentur, aut defendantur; non solum optime uti, sed & ea qualia esse, qua ratione fieri deberent, tam exacte norat, ut eorum etiam artifices multa nonnumquam ab eo docerentur. Ex his tot ac tantis, quas de hoc viro commemoravimus, virtutibus, maximam apud suos, maximam apud hostes auctoritatem consecutus est. Atque in secunda quidem fortuna maximi ab hostibus fieri & usitatum, & non magnum est. hic, quum tertio ab hinc anno infeliciter in *Hispanos* ad *Vincentiam* pugnatum esset, & se post incommodum illud *Patavium* recepisset; tantae tamen apud hostes existimationis fuit, ut hoc uno urbem vobis illam conservatam putem. An creditis, longitudine itineris, viarum asperitate, timore aliquo novi exercitus, quod urbem scirent munitissimam, hostes retardatos? nihil horum fuit. non longe aberant: faciles undequaque accessus erant: omnes vestras vires in eo, quem ipsi fuderant, exercitu positas sciebant: urbs ipsa nondum iis, quibus nunc est, munitionibus erat instructa. quid igitur eos deterruit? unus Imperator vester; unus inquam Imperator vester vobis eo tempore urbem illam, qua spiritum ducitis, conservavit. Tanti illum faciebant, ut aegre se victoriam consecutos crederent: urbem vero, in qua ille esset, expugnare, penitus desperarent. Considerate jam ea, quae a nobis hactenus dicta sunt: nihil huic,

quod

quod ad optimum virum, nihil, quod ad summum Imperatorem constituendum opus sit, defuisse invenietis. una defuit fortuna. haec cum illo acerbissimum semper bellum gessit. voluit scilicet id verum esse ostendere, quod de ea dici solet: *adversam saepe consilio esse*. numquam hic non optime consuluit: numquam iis, quae ad perficiendum id, quod consultum est, pertinent, caruit; bono saepe successu caruit. at hoc quidem praestare potest nemo. Majores fortunae accessione virtutes ejus fieri non potuissent: illustriores potuissent. nullius umquam res gestae Imperatoris, si consilio fortuna subscripsisset, admirabiliores fuissent. multis se illa magnis, atque egregiis hujus consiliis opposuit: multas cogitationes ab eo, quod destinarat, saepe divertit. atque, ut alia omnia praeteream, quis extremo ex hoc actu, cujus maxima, ut quis felix, aut infelix dicatur, ratio habenda est, non fortunae in illum injuriam cognoscat? plurimos toto hoc septennio, quum in misera illa captivitate, tum postea adverso hoc ac difficili Reip. nostrae tempore, labores pertulerat: cessisse jam tempestas omnis, atque inducta quaedam tranquillitas videbatur; parta *Regi* socio, atque amico vestro de *Helvetiis* victoria, *Hispanis* referre pedem coactis, nihil erat, quod a vobis ille, quod a *Rege* sperare non posset: jam de illius vos, de suorum ille militum praemiis cogitabat; quum ecce malo quodam fato, non ferro, non tormentorum ictu ullo, sed, quod miserrimum est mortis genus, vi morbi exstinctus est. O importunam sortem! o invida nonnumquam fata! quantum aberat, ut *Verona*, ac *Brixia* receptis, quod vel solo ejus adventu fieri posse

poſse credebatur, nos rebus jam per eum noſtris in tuto collocatis, omnibus eum honoribus, omnibus laudibus proſequeremur? ille gloria quadam immortali frueretur? multo tum illi minus acerba fuiſſet mors. quamquam eam hac animi fortitudine toleravit, qua alia adverſa multa ſolitus eſt perferre. unicum, & eum nondum bimum, puerum, tres adoleſcentulas, & egregiae indolis filias, praeclariſſimam, ac ſui amantiſſimam uxorem relinquebat: relinquebat hos omnes, qui hic adſunt. hos a parvulis ipſe diſciplina inſtruxerat militari, hos, ut filios, diligebat, horum opera in multis bellis uſus fuerat, neque umquam non fortiſſimos, ac ſui amantiſſimos viros norat: relinquebat demum hanc nondum in tuto collocatam Rempub. *Non negare ſe*, dixit, *ob haec omnia ſibi mortem acerbam eſſe: conſolari ſe tamen, quod neque orba filiorum aetas, neque vidua, ac ſine praeſidio futura uxor videretur: vos omnes non ut tutores ſolum, ſed, ut bonos parentes, illos amplexuros, hanc protecturos pro comperto habere. ampliſſimum hoc patrimonium, firmiſſimum praeſidium eſſe. Quod vero his ſuis ea, quae a ſe mererentur, praemia reddere non potuiſſet, id ferre aegrius: eam tamen in vobis prudentiam ſemper novisse: ut ſperaret, vos eorum virtutem non parvifacturos, neque ullo ſumtui parſuros, ut hoc fortiſſimorum juvenum robur, has vires, Reipub. veſtrae, cui magno uſui eſse poſsunt, conſervetis. ultimum illud, quod, quum adhuc noſtra ejus operam deſideraret Reſp. tum moreretur, id ſibi eſse graviſſimum. Sui quidem nullam curam habere: ſexageſimum jam annum compleſse: ſatis vixiſse; poſt mortem, non dubitare ſibi aeternam inter Deos ſedem paratam, unde haec humana deſpiciens, veram illam, ac bonis omnibus affluen-*

tem

tem vitam degat. Haec quum dixiſſet, iis omnibus, quae a religione praecipiuntur, peractis, ita tranquille deceſſit, ut non aliam in vitam, ſed aliam in domum commigrare videretur. opinione ego illum ſua fruſtratum non arbitror. inter Deos ſedet, pace fruitur tranquilliſſima, jam felix dici poteſt; ſed illius infelix domus, haec me dolore conficit, haec maxime perturbat. minus infelix puer, quod, quum nihil adhuc percipiat, quo patre ſit privatus, neſcit: an eo fortaſſe etiam magis infelix, quo minus infelicitatem ſuam ſentit? infelices certe filiae, quod & id jam cognoſcunt, & ea aetate ſunt, quae nullas ad reſiſtendum dolori vires habeat: infeliciſſima uxor, quae & filiarum lacrimis affligitur, & quo felicior prius eſſe omnibus videbatur, hoc acrius dolet. Soli vos, Patres optimi, his omnibus vulneribus mederi poteſtis. amplexamini totam domum, nullum, quod pios viros deceat, officium praetermittite; ſic & illi, ſi quis mortuis eorum, quae hic fiunt, ſenſus eſt, pergratum facietis: quum ſua ſe ſpe fruſtratum non videbit, & vos veſtrum munus implebitis, ac grati ab omnibus judicabimini. debetis hoc vos illi multas ob cauſſas, ſed ob hanc maxime, quod ob Rempub. veſtram obiiſſe mortem dici poteſt. dum enim nulla ſibi pro illa in re parcit, dum eos etiam, qui tolerari nequeunt, libentiſſime labores ſubit, nullam de ſalute ſua curam gerit; in eum morbum incidit, quo exſtinctus eſt. quae itaque ſuſcipiendorum laborum, eadem mortis cauſſa dici debet. Ei igitur, qui pro vobis mortuus eſt, reddite, quae debetis. vitam illi non poteſtis: iis, quibus maximo emolumento erat, reddite,

te. id ita demum a vobis fiet, si filii mortuum patrem non cognorint: uxor viri praesidium non desiderarit: ipsius ii, qui adsunt, familiares, quae ab eo sperabant, a vobis fuerint consecuti. Extremum id a me fortasse nunc exspectetur, ut hunc, quem ex egregii hujus Imperatoris morte moerorem in omnibus video, verbis coner mitigare. qui ego id possum? qui ab aliis sim consolandus. Sed abjicienda tamen haec omnis animi mollities, sumenda illa virtus, qua hic plurimum polluit, ferenda sunt leviter omnia, omnibus est adversis casibus resistendum. Vos quidem, qui eum semper secuti estis, qui ejus semper virtutum spectatores fuistis, hoc vel in primis decet. turpe est vobis, qui nullos umquam hostes, nulla tela, nulla mortis pericula reformidastis, nunc dolori manus dare. Induite illam animi fortitudinem, quae fortissimis, &, quales vos estis, viris convenit. an, si vel paucis vobis in confertissimos sit hostes irrumpendum, in instructissimas mille acies incurrendum, jubente id Imperatore vestro recusetis? novi ego vos, novi animorum vestrorum fortitudinem, novi amorem, quo illum prosequebamini: ne morte quidem proposita absterreremini. Nunc quum idem ille Imperator vester jubeat, ne diutius doleatis, morem non geretis? jubere autem id illum, si quis totam ab eo actam vitam consideret, si vos praecepta ea, quae quotidie auribus vestris inculcabat, recordari velitis; ita nulli dubium esse debet, ut hoc uno dolore vestro vel maxime ejus quietem perturbari putem. ferrei profecto fuissetis, neque humani quidquam in vobis fuisset, si, hac tanta calamitate accepta, non ingemuissetis. sed jam dolori indul-

tum

tum satis: nunc omnem ejus vim in hostem convertite. ite, Reipub. subvenite: eum, quem debetis, imitamini: nolite committere, ut Imperatoris morte languidiorem militum virtutem factam, hostes gaudeant, nos tristemur; ad hoc vos dolor incitet, ad hoc impellat. Vos vero, reliqui omnes, qui adestis, cives, & horum, & aliorum, qui vobis adsunt, virtute confisi, de Repub. nihil dubitate, & omnem, quem ob hanc caussam conceperatis, dolorem deponite. illius etiam caussa non est, quod doleatis. bene cum illo actum est; ex misera hac vita in aeternam illam sublatus, bonis omnibus fruitur. neque vero, quum recte considero, cujusquam mihi deflenda mors videtur; tantumque abest, ut eum, qui ex hac vita celerius commigrarit, infelicem judicem, ut eo etiam feliciorem putem. Siquis saeva quadam in mari exsistente tempestate, multis simul solventibus, quamcelerrime omni ventorum vi, omni pelagi impetu superato, in portum, quo cursum direxerat, provehatur; nonne is felicissime iter suum confecisse dicendus? reliqui, quo diutius commorentur, eo infeliciores habendi sunt? ita profecto se res habet. Simile ego quoddam in vita hac nostra reperio: nihil illa aliud est, quam in procelloso quodam mari navigatio. aegritudines, mollitiae, calamitates, adversa alia, quasi hujus vitae tempestates dici possunt: portus ipse, quo cursus omnibus dirigendus, mors est. cur igitur, qui in hunc portum ex illis fluctibus celerrime navigarit, non eo haberi felicior debeat, quo citius tot malis ereptus in tranquillo constiterit? non probatur hoc ita vobis for-

tasse, ut felices esse cupiatis. non probetur sane; at eos tamen, qui eo pervenerint, non luctu prosequamini, sed felices ducite: ac, si de vobis bene promeriti sint, non lacrimis, sed divinis honoribus, colite.

M. D. XV. Die X. Novembris.

AN-

ANDREAE NAUGERII
PATRICII VENETI
ORATIO HABITA IN FUNERE
LEONARDI LAURETANI
VENETIARUM PRINCIPIS.

CREDO EGO, ſi quis eorum, quae a nobis geruntur, mortuis ſenſus eſt: LEONARDUM LAURETANUM, quum ornatiſſimas has, quas illi celebratis, exſequias, hanc pompam funeris, hunc nobiliſſimum conſeſſum veſtrum, hunc univerſae civitatis moerorem videt: quod ex his omnibus, quam plurimorum illius in Rempub. meritorum memores ſitis, cognoſcit: & libentiſſimo haec animo accipere, & non parum benevolentia, & pietate hac in ſe veſtra laetari. Neque tamen, ſi quis recte conſideret, ulla re illum magis gaudere, quam his laudibus, hac virtutum ſuarum praedicatione, exiſtimandum eſt. ut enim reliqui honores omnes, quibus vos mortuos Principes veſtros ornare conſueviſtis, & quos nunc huic cumulatiſſimos redditis, & maximi ſint, & pro amplitudine imperii, ac Reip. veſtrae dignitate conſtituti: opulentiam tamen quamdam potius, ac Reipublicae ſplendorem praeſeferre videntur, quam ut illi, cui tribuuntur, quidquam adferant, quod illius dici jure poſſit. laudationes hae propriae illius ſunt, qui laudatur: neque quidquam

ex

ex his sibi alius vendicat. Ac per aliquot illi dies in vulgi ore sunt; paulatim deinde e memoria excidunt, & brevi tempore contabescunt: atque, ut diutissime durent, memoriam certe hominum, qui eos viderint, non excedunt. hae, si quis recte eas scripserit, in dies augescunt, neque ullo tempore conficiuntur, sed ex eo potius vires sumunt, atque omnem superare posteritatem contendunt. Atque illi & eo tantum in loco, in quo exhibiti sint, atque ab iis tantum, qui adfuerint, spectari queunt: hae totum orbem peragrantur, hae se omnibus passim ostendunt; atque eodem etiam tempore diversissimis in locis esse possunt. Non immerito igitur, ut quisque est optimus, ita maxime laude ducitur; nec vehementius ullum in bonis omnibus desiderium est, quam gloriae. Difficilem quamdam, & laboriosam vitae rationem suscipiunt, qui virtutis via niti constituerunt. nulli illis non vel ultro suscipiendi labores, nulla non pericula subeunda, omnes contemnendae voluptates, acerba saepe omnia perpetienda sunt. neque tamen tam agresti, ac fero animo quisquam habendus est, ut credendum sit, iis illum, quae naturae aspera, atque inimica sunt, delectari. quid ergo est? una laudis spes, ac gloriae, pericula, & labores levat, voluptatum illecebras negligit, acerbitates mitigat. haec, ut umbra, virtutem sequitur, atque ea merces est, quam unam illa molestiarum omnium exposcit: haec tam acres bonorum animis stimulos admovet, ut non solum, qui vitae eam commodis anteferrent, inventi sint; sed multi, & hi maximi, ac fortissimi viri, mortem ultro subierunt, ut immortalem sui memoriam relinquerent. hoc pacto se

vitam,

vitam, quae brevis admodum data nobis est, longissime proferre posse, atque aeternam prope efficere arbitrati sunt. Quae quum cognoscerent majores nostri, hanc bonis a natura insitam cupiditatem gloriae non solum alere, sed augere etiam, si fieri ulla ratione posset, Reipub. utile existimarunt. atque ut in omnibus Reipub. partibus alia multa divinitus, sic ad caeteros hos honores, qui defunctis Principibus constituti sunt, laudationes addi, & eorum celebrari virtutes voluerunt. his enim non solum, qui recte Reipub. praefuerint, quae meriti sunt, laudis praemia consequuntur; sed reliqui etiam, qui idem subituri munus sunt, ad recte agendum accenduntur, quum recte factorum gloriam non secum mori, sed ita memoriae mandari vident, ut tum maxime diuturnioris illam vitae initium sumere, adfirmare possimus. Unum fortasse sit, quod hoc tempore in vestra hac pietate, in hoc tam grato in Principem vestrum officio, desiderari possit: quod non is illi laudator contigit, qui dicendo illius assequi virtutes queat: qui idoneus sit, quae plurima ille semper aeternitate digna gessit, ita scriptis mandare, ut ad posteros perventura, & in omne aevum celeberrimum illi nomen prorogatura videantur. Sed ne ob hoc quidem, si quis id diligenter perpendat, quidquam est, quod queri possit. vos, quantum in vobis est, omnia, quae a gratis animis exspectari possunt, praestatis. funus amplissimum pro ejus in vos meritis, & Reipub. opibus ducitis: adestis ad id honestandum frequentes, Patres optimi: adest universus populus: nemo omnium est, qui non illum, ut optimum Reip. parentem, raptum

fleat:

fleat: qui non illum, quamvis tardissima senectute consumtum, ut primis tamen annis acerbissime ereptum conqueratur. Ad haec, cum ego pro concione laudare jussus sum. nihil, quod officii vestri esset, relictum a vobis est. a me est, si qua in re minus illius meritis satisfactum esse existimari debet. Ego vero eas praeclari hujus Principis virtutes esse animadverto, ut nullius umquam tanta dicendi vis, tanta ingenii facultas fuerit, quam parem illis celebrandis putem. quamobrem non mihi id vitio vertendum est, si eas assequi non possum; sed eo ille admirabilior haberi debet, quo illius laudes non mea solum, quae minor etiam, quam mediocris, est, sed & omni eloquentia majores sunt. Neque vero ob id sileri de illis decet. male enim se res habeat, si quo plura, ac majora in quopiam ornamenta sunt, quod difficile sit illa oratione complecti, eo de illo minus dicatur; atque eo praemio, quod unum maxime virtus exoptat, ob virtutem maxime defraudetur. Enitar igitur, quantum a me fieri poterit, eo munere, quod mihi injunctum est, recte defungi; cui tum ego profecto satisfecisse existimandus sum, quum illa, quae a me dici poterunt, pro ea, quae in me est, dicendi facultate explicaro. Primum omnium, quoniam de eo mihi Principe verba facienda sunt, in quo uno, quae in hominibus laudari solent, cumulatissime omnia inventa sint; non id mihi solum considerandum est, quid a me dici, sed multo magis, quid eorum, quae plurima suppetunt, omitti oporteat. si enim ea, quae dici possent, persequi omnia voluero, neque id, quod mihi ad dicendum temporis datum est, sufficiat, neque

que aures fortasse vestrae pati possint. De pulcherrima igitur hac *Urbe*, praeclarissima hac Repub. maximi imperii sede, libertatis domicilio, totius *Italiae*, atque adeo terrarum omnium tutissima quadam arce, & ipsius Principis, & nostrum omnium patria communi, nihil est, quod hoc tempore dicendum putem; quamquam enim non parvi ad gloriam refert, qua quisque in civitate sit natus: & ipse etiam praeclarissimus Imperator *Themistocles*, si *Seriphius* natus esset, numquam se nobilem futurum fuisse confessus sit: multo tamen ego ea magis laude digna arbitror, quae in homine ipso sunt, quam haec externa, & quae fortunae arbitrio dispensantur. Quamobrem de ipso etiam *Leonardi* genere, quod & multo etiam vobis, quam mihi, est notius, non est, quod a me multa exspectetis. sed, ne de tam illustri tamen familia omnino nihil audiatur, hoc unum dicam: uti *Romae* e *Curionum* genere plures quondam dicendi facultate, e *Scaevolarum*, juris scientia praestiterunt; ita *Lauretanam* familiam fato quodam huic Reipub. datam, quae seminarium quasi quoddam summorum esset Imperatorum. Omnes prope hujus Reipub. opes, omnis dignitas, quae maxima est, maritimis rebus crevit. multa mari majores nostri egregia facinora saepe gesserunt: multa hoc tempore quotidie a praeclaris Imperatoribus vestris, quum res exigit, geruntur; atque ea semper nostrorum in hac re virtus apparuit, ut non sine caussa jam tot annos maris imperium *Veneto* nomini concessum sit. sed si quis omnia recordari, aut ex annalibus quaerere voluerit, plures prope ex una *Lauretanorum* familia Imperatores rem praeclare gessisse, quam ex reliquis

 omni-

omnibus inveniet. ut mihi divina quadam mente nomen huic familiae inditum videatur, quae omni bello superior victoriae semper *Lauream* reportaret. Neque vero ex hoc genere ego quemquam nominabo: ne de *Hieronymo* quidem *Leonardi* patre, & viro optimo, & sapientissimo senatore, quidquam dicetur: unus mihi sit *Leonardus* satis, ad cujus unius laudes celebrandas omnes orationis meae vires, quantaecumque hae sunt, conferantur. qui quum praeclarissima domi exempla haberet, ac majorum sibi suorum virtutem, non solum quam imitaretur, sed etiam quam superaret, proposuisset; ita id consecutus est, ut in eam familiam, quae nullo pacto fieri illustrior putabatur, multum tamen luminis intulerit. Ac mihi quidem saepenumero cogitanti, quam multa ab iis, qui praeclaris e majoribus orti sunt, exspectari soleant; quamque illis, si vel minimum quid deliquerint, nihil ignoscatur; dubium visum est, melius ne, ac conducibilius homini sit, non ex ignobilibus quidem viris nasci, sed ex iis tamen, qui non ita magni fuerint, ut eorum nobis gesta oneri futura sint, & eam fortasse exspectationem excitatura, quae nullo pacto sustineri a nobis possit. Et profecto ita se rem habere comperio, quamquam hoc admodum tutum sit, nam & facilior errato est venia; &, si nihil feceris, non exigitur: si quid egregie feceris, id, quum non ut debitum praestes, gratius, ac magnae tibi laudi est: longe tamen majores res ab illis geri, quos & exspectatio hominum, & parentum virtus excitet. haeret enim eorum animis, quasi fax quaedam, assidua cogitatio, quae noctes, diesque illos ad egregium agendum aliquid inflam-

flammet : quo majoribus suis digni reperiantur, ac patrimonium gloriae sibi ab illis relictum & tueri, & augere possint. Hoc (ut alios omittam) in Principe hoc nostro facillime cognosci potuit. nihil erat, quod ab hoc homines non exspectarent : sic majorum ille suorum virtutibus excitatus est, ut omnium tamen exspectationem vicerit. tantum gloriae a majoribus suis acceperat, ut difficillime eam tueri posse crederetur : sic illam auxit, ut non eos solum, sed omnes, qui umquam fuerunt, Principes superarit. At vero, antequam de iis, quae ab eo in principatu gesta sunt, loquar, totus ex ordine egregii hujus viri cursus, quo ad altissimum dignitatis gradum ascendit, proponendus vobis est : &, ut quaeque ab eo gesta sunt, ita quaeque dicenda, ita ut ne incunabula quidem ipsa tanti Principis praetermittamus. Quum puer esset, egregia quaedam pulchritudo, & probitate, & praeclara ingenii adjuncta indole, sic in illo elucebat, ut quum multum ab his illa ornamenti acciperet, non minus tamen illius haec essent commendatione gratiora. Primam hanc ille aetatem in literarum studiis exegit : ac, quod mirum omnibus videri possit, tantum puerili illa institutione, quae vix primis percipiendis rudimentis satis est, profecit, ut numquam postea sit literarum expers habitus. Ut primum vero e pueris excessit, simul ea, quae se prius ostenderant, augeri videbantur : simul prudentia, ac virtutes omnes pullulare, atque admirabili quodam proventu se efferre ceperunt. quumque ille jam, quae majorum suorum virtus fuisset, quid ab se illis deberi crederetur, consideraret, ac non multo post, quum tempus esset, capessendam sibi Remp.

constituisset; non in umbra, atque otio interea delitescendum, neque, quid agendum esset, e libellis quibusdam ediscendum: sed in solem, atque aciem sibi prodeundum censuit. ac majorum quidem ille nostrorum morem, atque institutum id secutus est, quo ego uno servato, nostram Rempub. maxime auctam, intermisso, non parum debilitatam puto. Existimarunt majores nostri, eos, qui ad Rempub. administrandam admittuntur, omnium rerum peritos esse oportere: facillime enim in scopulos intrudi Rempub. posse, si imperito commissa sit. adolescentes ideo, ac juvenes sic institui, ut, quum ad Rempub. accedunt, gnari sint rerum, quae necessariae sunt, summopere utile, & tutum esse crediderunt. Praeterea, ut maximae Reipub. divitiae, quum usus posceret, praesto esse possent, omni studio sibi perficiendum esse opinati sunt. has enim non pacis solum ornamenta, sed, quum nonnumquam bella, vel invitis etiam, suscipienda sint, nervos illos esse, quibus maxime Reipub. vires sustententur. ad haec quum admirabilem, & munitissimum hunc hujus *Urbis* situm intuerentur, quo nulli exercitus, nulla vis, nulli hostes, omni aditu mari intercluso, pervenire possint; tum demum & hanc se inexpugnabilem reddituros, & rem *Venetam* maxime auctam iri arbitrati sunt, si mare, quo solo adiri potest, validis classibus possiderent. Haec tria illi quum sibi efficienda proposuissent, admirabili quadam sapientia uno omnia instituto assecuti sunt. constituerunt enim, ut complures quotannis onerariae triremes, quae mercaturam exercerent, ad omnes nostri maris oras, & extra hoc etiam quaedam, navigarent: atque

in

in his patricios ire adolescentes voluerunt. ex hoc id effectum est, ut, quum illae omnes prope maritimas *Asiae* urbes, omne interius *Africae* litus, *Hispanias*, *Gallias*, omnem prope *Europam*, omnes, quae circa eam sunt, insulas adirent; qui in his essent, diversa rerumpublicarum genera, diversa imperia intuerentur: multarum nationum, atque hominum mores cognoscerent: ac per haec prudentiores facti, quum, exacta in his juventute, ad Rempub. accederent, eam sapientissime administrarent. Atque ego quidem neque negare ullo pacto possum, neque, si possim, negem: multa in libris inveniri, multa sapientissimorum hominum praecepta memoriae tradita, quibus & hac, & omni alia in re, quae homini agenda sit, instrui possimus. sed ut hoc non negem, sic id constantissime affirmare ausim, multos sine ullis literis ipso rerum usu edoctos, sapientissimos, ac regendae Reip. scientissimos exstitisse. prudentia enim ea nimirum est, quae in omnibus, quae a nobis geruntur, rebus dominatur. ea quamquam multa a literis habet adjumenta, eo tamen habet, quod, quae multi viderunt, quae experti sunt, ea memoriae prodita legere, & legendo institui, ac doceri possumus. quae si adjumento esse nobis fatemur, quanto id magis referre credendum est, si quis, quae alii legunt, videat: quae scripta in libris sunt, in his ille versetur: neque cujusquam scriptis, quae plerumque falsa sunt, sed ipsis rebus, quae nulla ratione inverti possunt, erudiatur. Prudentissimos *Homerus Ulyssem*, & *Nestorem*, atque omnibus in rebus sapientissimos fingit; neque tamen aut otio, aut literis deditos umquam

com-

comperimus. dum multorum ille hominum & urbes, & mores videt, prudentiam illam assecutus est. hic trium saeculorum spatio, plurima tum videndo, tum audiendo, atque ipse etiam gerendo, maximum rerum omnium usum adeptus, ac sapientissimus existimatus est. Quae quum majoribus nota essent, praeclare, quod a nobis dictum est, instituerunt. sed & id etiam instituto illo assecuti sunt, ut mirum in modum Reipublicae opes crescerent; praeter portoria enim, quae maximum e plurimis, quae & importantur, & exportantur, rebus Reipublicae emolumentum adferunt: auctis assidua mercatura privatorum divitiis, in hac praesertim administrandae Reipublicae ratione, augeri publicas necesse est. fiebat id etiam assiduis his navigationibus, ut multi maritimae rei peritissimi evaderent, atque hi, quoties instruendae classes essent, eam Reipublicae operam navarent, ut non sine caussa per tot annos *Venetum* nomen cunctis gentibus mari formidolosum fuerit; ac non solum his propugnaculis semper *Urbs* se nostra tutata sit, sed & longissime imperii sui fines protulerit. Dolerem, Patres optimi, institutum hoc aboleri: quererer, juventutem nostram non jam his artibus niti, quibus haec crevit Respublica: sed aliis captam studiis urbanae se inertiae, atque otio penitus dedidisse; nisi sperarem, ac plane jam viderem, omnia jam a vobis, quae proximi hujus belli motu concussa, ac labefactata erant, firmari: neque quidquam praetermitti, quod vobis aut ad utilitatem, aut ad dignitatem Reipub. necessarium videatur. Sed, ut unde digressus sum, redeam: totam *Leonardus* juventutem non inertem, non otiosam, sed in labo-

laboribus, assiduis in diversissimas regiones navigationibus, perdiscendo rerum omnium usu egit: multas provincias, atque urbes adiit, multa diversorum populorum imperia perspexit, multarum gentium mores, atque instituta percepit. quo factum est, ut non solum mercatura opes, quam diligenter, & cum dignitate exercuit, sed & prudentiam quoque, quae illi a natura maxima data erat, mirum in modum tamen, haec cognoscendo, auxerit. neque vero haec sola in illo conspiciebatur, sed & reliquis ita virtutibus abundabat, ut mirum nemini videri debeat, quum in *Africa* negotiaretur, id, quod divulgatum est, *Aegyptium* illi quemdam senem divinantem dixisse, *& felicissimum, & suae Civitatis Principem futurum.* Equidem non nego, potuisse senem illum caelesti quodam afflatu commoveri, & ea, quae futura essent, huic praesertim, qui Diis semper carissimus fuisse existimandus est, divino monitu nunciasse: sed hoc contendo, sine ulla id etiam divinatione, ex ipsis hujus virtutibus praedici facile potuisse. Non immerito igitur, ut primum domum venit, atque animum ad regendam Remp. appulit, omnes honorum gradus adeptus est: neque quidquam in Republ. nostra tam amplum fuit, quo non ille dignissimus judicaretur. Plures ille magistratus tum in urbe, tum extra urbem aliis multis in locis gessit; atque eos ita gessit, ut, quum summa omnia sibi homines ob egregiam quamdam, quae de illo in omnium animis insederat, opinionem, quum magistratum inibat, pollicerentur: magistratu defunctus non modo, quae sibi illi promiserant, sed multo plura, quam quisquam

aut

aut optare, aut sibi ipse fingere ausus esset, praestitisse videretur. Dicenda illi in urbanis magistratibus de Repub. sententia saepe erat. hic vero prudentia illa admirabilis campum, quo excurreret, ac se ostenderet, nacta, omnium oculos in se trahebat. quum multa ille praeterita meminisset, praesentia omnia exactissime perpenderet, ac rerum inter se nexum, & consequentiam quasi quamdam, diligentissime consideraret; nemo futura acrius conjectabatur, nemo conjectura minus fallebatur. ea vero verborum gravitate, ea dignitate orationis utebatur, ut, quum nullis id ille illecebris, nullo artificio aucuparetur; nemo tamen vehementius in quam vellet partem audientium animos impelleret: in nullius sententiam frequentiora Senatusconsulta fierent. atque id ille eo etiam facilius assequebatur, quod egregius illius quidam in Remp. amor erat omnibus perspectissimus. nemo erat, qui nesciret, nulla illum privata re, nullis suis commodis umquam moveri: non amicitiis perverti, non inimicitiis perturbari: nihil in gratiam cujusquam loqui, nihil dies, noctesque aliud cogitare, quam, quemadmodum Reipub. prodesse posset; nihil dicere, quod non Reip. utile arbitraretur. haec quum de illo homines sentirent, mirum si maxima ejus verbis auctoritas inerat: si semper est Senatus Princeps habitus. Age vero in jure tum in urbe, tum extra urbem dicundo qualis fuit? equidem difficillimum esse arbitror, sine multorum offensione, ita justitiae praecepta servare, ut nihil ab illis recedatur. ac multi quidem ita tristes, ita acerbi in judicando sunt, ut vel utramque partem etiam: nemo fortasse est, qui non eorum sal-

tem

tem animos, quos contra ſtatuit, offendat. hic, quum nulla gratia, nullis opibus, nulla vi, nullis precibus permoveri umquam potuerit, quin graviſſimus, & ſeveriſſimus juſtitiae cuſtos eſſet; ita tamen illam juſtitiae aſperitatem clementia, & comitate quadam condire eſt ſolitus, ut ne ii quidem, quos contra pronunciabat, cur illi inimici eſſe poſſent, invenirent. magna haec ingenii vis: virtutes eas, quae diverſiſſimae, atque adverſae prope inter ſe eſſe creduntur, ita conjungere, ut non alteri ſolum altera non officiat, ſed & magno etiam ſit ornamento. Quid? in caeteris qualis inventus eſt? abſtinentia ſingulari: ſumma in rebus omnibus temperantia. ita faciles ad eum aditus patebant, ut neque tempore, neque loco umquam ullo quiſquam excluſus ſit: quin & eum adire, &, quae vellet, libere loqui poſſet. Jam populos, qui ejus curae commiſſi erant, non ille ut dominus, ſed ut bonus parens regebat. amabat omnes, aequus erat omnibus; ſed bonos tamen & amore, & indulgentia quadam praecipua proſequebatur. ex his fiebat, ut hae feliciſſimae Civitates eſſe, quibus ille praeerat, putarentur. his ille gradibus, hac via nixus in ampliſſimam hanc hujus principatus arcem aſcendit. quum enim ejus jam late nomen increbuiſſet, virtutes omnibus notae eſſent; *Auguſtino Barbadico* Principe defuncto, in ejus locum ſuffectus eſt. Percurſa ſunt a me multa breviter, quae multo profecto & latius, & ornatius erant explicanda. omiſſa etiam non pauca. neque enim in ulla hic vitae parte non omni laude, omni admiratione dignus fuit. ſed rapuit me ad ſe citius fortaſſe, quam decuit, ipſius principatus

ſplendor. hic ſuo lumine quaſi tenebras reliquis rebus offudit. de quo quum mihi multa dicenda eſſent, ac, ne longitudine orationis meae vobis moleſtus eſſem, vererer; ſatius viſum eſt, eorum, quae minora certe ſunt, quaedam relinquere, quam ex majoribus his quidquam praetermittere. quamquam ne de his quidem eſt, quod ſperem a me omnia dici poſſe. longe enim inferiores ingenii mei vires ſunt. ſed tamen, ſi illa omnia perſequi voluiſſem, multo pauciora de his verba facere coactus eſſem. nunc nulla re interpellabor, quo minus ea, quae a me dici poterunt, explicentur. Major quaedam res, ac longe difficilius, quam homines opinantur, negotium eſt: unum quempiam, aut regnum, aut cujuſmodi imperium aliquod adminiſtrare. non enim ſolum, quae in privatis hominibus probari ſolent, ea in hoc, qui caeteris praeeſt, requiruntur; ſed & multo hunc rebus omnibus praeſtantiorem eſſe convenit, &, quum in illis vel magna plerumque vitia virtute aliqua obtegantur; hic, quod ejus ita omnibus propoſita vita eſt, ut nec latere, nec obtegi quidquam poſſit, ac vel minima ejus culpa maximae obſcurari virtutes queunt; nihil prorſus umquam delinquat, neceſſe eſt. quod quum praeſtare permagnum eſt, tum longe id maximum: unum eſſe, cujus conſilio omnia gubernentur, qui non ſui ſolum, ſed & omnium, qui in imperio ejus ſunt, curam gerat: eorum commodis conſulat, incommodis medeatur, ſaluti provideat: qui & praeſentia recte diſponat, & ea etiam, quae futura ſunt, multo ante praevideat. Ac quum hae difficultates iis omnibus, quibus aliquod ſit imperium adminiſtrandum,

dum, propositae esse videantur; tum & has, & multo his majores subeat, necesse est, qui nostrae Reipub. Dux praeficitur. atque hujus ego rei ostendendae caussa, dum altius quaedam repeto, ne me quaeso oblitum instituti mei putetis. nihil loquar, quod non ad rem pertineat: nihil, quod non & nostro huic Principi, & vobis omnibus laudi sit. Tanta prudentia majores nostri, tanta ac tam singulari in rebus omnibus sapientia fuerunt, ut eos potius numquam satis admirari, quam pro meritis laudare, possimus. hos ego quamquam in omnibus tum dictis, tum factis, divinos quosdam viros invenio; nihil tamen ab his praeclarius, quam hanc hujus Reipub. administrationem, aut excogitatum, aut constitutum arbitror. Tres regendarum civitatum rationes sunt: Unius, Optimatum, Populi dominatus. Unius imperium, si quis id recte gerat, caeteris praefertur: secundo loco Optimatum: postrema omnium Popularis administratio existimatur. quod saepissime is tamen, qui omnia unus potest, pro libidine plurima, nihil jure agit: atque eo caeca quadam cupiditate fertur, ut omnia unus possidere, nihil cujusquam esse proprium velit: quodque extremum civitatibus exitium esse consuevit, suis ipse civibus, quorum saluti praecipue consulere deberet, infensissimus hostis est: &, quod Populi dominatio, velut mare quoddam, ita multis saepe ventis, atque adeo auris omnibus agitatur, ut nihil illa sit commotius; ac tanti plerumque in ea fluctus excitantur, ut in civitatem etiam redundent, atque eam saepe demergant; ob haec Optimatum potentia, quamquam & suis ipsa vitiis non careat, maxime tamen tuta, at-

que omnium optima existimata est. haec quum majores animadverterent; quod in unaquaque optimum visum est, transferentes, ac vitia omnia, quantum fieri poterat, amputantes, hanc Reipub. formam constituerunt. quae quidem ita ex omnibus mista est, ut, quum Optimatum quidem illa gubernatio esse maxime videatur, caeterarum tamen etiam administrationum quodammodo expers non sit. Comitia, quibus magistratus creantur, quod maxima in his civium multitudo est, atque eo omnes convenimus: quamquam nullo pacto huc quisquam e populo adspirare possit, atque unius sint nobilitatis omnia: speciem tamen quamdam Popularis gubernationis praeseferunt. Unius dominatio in eo, qui Dux creatur, conspicitur: caetera omnia Optimatum administrationi conveniunt. atque unum quidem ex omnibus eligi, qui toti praeesset Reipub.; quum ob alia multa, tum ob id maxime constituerunt, quod videbant, id in hac Repub., quod in omni & Optimatum, & Populi imperio fit, fieri necesse esse; ut annui scilicet magistratus, aut aliquo certe non longo tempore definiti, crearentur. in eo vero id esse incommodi, quod, quum ii plerumque, qui ea, quae in Repub. agenda, ac quo omnia dirigenda consilia essent, tenerent, peracto magistratus tempore privati fierent; novi vero, ac rerum, quae gererentur, ignari, succederent; praetermitti multa, ac magno affici Rempub. detrimento necesse erat. ob haec illi unum aliquem Reip. praefici utile esse opinati sunt, qui ad Reipub. gubernacula assiduus sedeat: caeteri munus quisque suum exsequantur: ille omnia disponat, & quae visa fuerint, imperet, atque eo cursum

di-

dirigat, ubi maxime & salutem, & utilitatem Reipub. esse cognoscat. neque vero, quemadmodum in Rege suo *Lacedaemoniorum* Resp. successione hoc fieri, sed ex iis, qui in Rep. versati essent, atque egregii in Remp. animi, ac virtutum omnium signa multa dedissent, sapientissimum eligi voluerunt. huic autem, ne imperandi dulcedine transversus aliquando rapi posset, ita suas dixerunt leges, ut, quum in summa rerum omnium potestate sit, non minus tamen, quam nostrum quilibet, legibus teneatur. maximo igitur consilio, & alta quadam sit mente praeditus, necesse est, qui in nostra Rep. Princeps constitutus, quae ab eo debentur, praestare, ac recte exsequi voluerit. ac caeteris quidem omnibus, qui civitatibus soli imperant, si eas recte administraturi sint, multi, & magni suscipiendi labores sunt; sed, quod pro sua illi voluntate, omni praescripto liberi, multa gerere possunt, minus id difficile haberi debet. nostrae Reip. Principi simul omnia, quae illis, onera incumbunt: simul severissimis legibus obtemperandum est. quod si quis hoc, quod omnium difficillimum est, recte gesserit; nonne immortales illi laudes, & divini honores debentur? quis igitur nostrum hunc Principem satis pro meritis umquam laudaverit? qui talis in diversissimis his rebus inventus est, ut, recte principatum administrando, iis, qui in imperio sunt, quemadmodum administrari imperia debeant: legibus parendo, privatis, quemadmodum legibus parendum sit, proposuisse exemplum videatur. quae ut ab omnibus cognosci possint; quemadmodum per viginti hic annos Remp. administrarit, quem se Principem ostenderit; quo

cepimus ordine, persequemur. Qua tempestate Princeps is vester creatus est; quamquam ne id quidem praetermittendum est, maximo illum consensu, atque eodem die, quo ferri suffragia cepta sunt, quod raro admodum fieri consuevit, creatum esse: neque parvum hoc testimonium illius virtutum haberi debet, in refertissima sapientissimorum civium Repub. ne diu quidem dubitatum esse, quisnam praeferri omnibus deberet. sed qua tempestate is Princeps creatus est, bellum nos cum *Baizeto Turcarum Rege* aliquot jam annos acerrimum gerebamus: & quum jam *Benedicti Pisaurii*, clarissimi, ac fortissimi viri ductu meliore loco res esse nostrae cepissent; ac plerisque hostium oppidis ejus consilio, ac militum virtute captis, repressus aliquantum illorum furor videretur: & jam satis ostensum, non eos nos esse, qui illatas ulcisci injurias nequiremus; non multo post de pace agi ceptum est. qua tandem, diu re ultro citroque agitata, maxima cum dignitate vestra constituta, per plures vobis annos omnia secunda evenere. vos pacatissimo in otio, amplissimo in imperio maxima cum dignitate agitabatis. Princeps ipse interea, quum nullae essent in Repub. tempestates, quae magnum admodum gubernatoris laborem poscerent, non minoris tamen esse artis Rempub. in pace administrare, ostendebat. Hic (ne idem mihi saepius dicendum sit) egregiae illae animi dotes, de quibus ante dixi, quae jam tot annos, quibus ille in Repub. versatus fuerat, omnibus perspectae erant; eaedem tanto etiam tum in eo majores videbantur, quanto iis, qui ad aliquam regendae Reipub. partem admittuntur, praestare totius Reipub. Principem opor-

oportet. per haec tempora, quum alia ille multa praeclare gessit, tum id maxime, quod, quum ejusmodi esse omnes Respub., & inter caeteras nostram hanc praecipue, arbitraretur, ut nihil illis magis cavendum, quam bellum, esset; nihil magis quam pacem expetendam duceret: hac foveri eas atque ali; neque subita aliqua vi, sed ipso tempore, atque occasionibus, quae plurimae in dies accidunt, augeri oportere: &, quum vos hoc illi assentiremini; ita id praestitit, ut, quum multa illis temporibus tum ab *Italis*, tum ab externis regibus, tota *Italia* bella gesta, multa variis in locis praelia plurimo sanguine commissa, atque omnibus odiis certatum sit; nemo tamen *Venetis* hostis fuerit; sed, quum aeque ab omnibus colerentur, ut arbitri illi quidam potius ad componendas inter eos res adhiberentur. atque hac quidem ille ita pace fruebatur; ut, quum eam omni ratione perpetuo conservandam putaret, animadverteret tamen, ea nonnumquam tempora incidere, quibus vel necessario bellum gerendum sit. itaque, ut periti gubernatores solent, qui, quamquam omnia observaturi signa sint, omnem in eo curam collocaturi, ut tranquillo mari navigent, neque saevientibus se ventis committant; quod momento tamen plerumque tempestas incidit, jam tum, quum in portu sunt, omnia praeparant, quae tolerandae tempestati necessaria esse videantur. sic ille jam tum in pace, quae bello, si quod incideret, opportuna essent, considerabat. qua in re, quum nihil eorum, quae agenda essent, praetermitteret; tum praecipue aerario ac publicis opibus prospiciendum censuit. quum vero, ob ingentes multis, quae ges-

gesseratis, bellis factas impensas, maximo alieno aere urgeri Rempublicam, ac tantum deberi civibus videret, ut vel eo, quod illis, dum plene aliquando satisfieret, quotannis pendebatur, prope omnia vectigalia, ac Reip. redditus absumi necesse esset; omni cura invigilandum, ut id ratione aliqua dissolvi posset, existimavit. eo dissoluto, tam late patere imperium vestrum, tam opimas, tam fertiles regiones sub ditione vestra esse cernebat, ut facillimum factu esset, maximas vobis divitias exaggerari: ac tantum non multo tempore in aerarium auri congeri, quantum nullis umquam bellis, nullis sumtibus exhauriri posset. hanc vos ejus sententiam quum secuti essetis, ita toto ille animo in eam rem incubuit: eam, ut id fieri posset, rationem invenit, ut brevi tempore tanta res, &, qua nulla umquam Reipublicae utilior excogitata est, confici posse, ac prope jam confecta esse videretur. sed repens id quod praeter omnium exspectationem bellum subito exortum est, ut alia nobis multa detrimenta intulit, ita huic etiam rei fuit impedimento. Secuta sunt tempora, quae si ex ipsa rerum natura evelli ullo pacto possent, non ego praeclarissimi hujus viri, ac vestrum omnium laudem, quam maximam proximo hoc bello adepti estis, tanti faciendam ducerem; ut non id mihi votis omnibus exoptandum existimarem. simul enim & molestiae, ac calamitates omnes, quibus his temporibus Resp. affecta est, extraherentur. sed quoniam fieri id non potest; non mihi ego, si eorum vobis memoriam renovaro, vulnus, quod jam obductum est, refricaturus; sed gloriam potius vestram prolaturus, at-

que

que hominum sermonibus propositurus videor. Ac, quo ego magis cogito, & res eas, quae evenere, mecum ipse considero; eo magis, fato nescio quo, cui nullis hominum consiliis, nulla vi resisti posset, arma in nos illa concitata, ac tantam subito belli molem exstitisse comperio. quid enim majores vestri, quid vos umquam aliud egistis? quis vestrarum cogitationum omnium alius umquam terminus fuit? quid sibi aliud vestra umquam vota postularunt, nisi ut in pace, atque otio esse, ac vestra tranquille perfrui Republica possetis? quum multas vos civitates, multa regna, ob nimiam imperandi cupiditatem concidisse, eamque ipsam non longissime prolatis finibus, sed moderatione animi terminari posse cognosceretis; satis magnas vobis opes, satis amplum esse imperium putabatis. id vero quum sola pace diuturnum, ac perpetuum fieri posse videretis, omnia vestra studia, omnes cogitationes pacis erant. hac jam ab initio altam, ac auctam vestram Rempub. noratis: hac illam in posterum omnem temporum aeternitatem superaturam sperabatis. atque ideo nemini vos umquam ultro injurii fuistis, neminem bello lacessendum, sed vobis tantum, ac sociis vestris illatas injurias propulsandas censuistis. at vero officio cum omnibus semper certavistis, inita foedera sanctissime observavistis, fidem constantissime coluistis. quibus rebus quum fieri id deberet, ut omnium maxime ab omni injuria tuti essetis, neque quisquam non benevolus vobis esset; repentino tamen quodam impetu prope omnes totius *Europae* nationes ad vos, tamquam omnium communes hostes, exstinguendos confluxerunt. multa ego hic

mihi justissimas ob caussas silenda arbitror; unum hoc tamen dicam: si ulla umquam ratione fidem aliqua in re non obstinatissime servandam esse persuaderi vobis potuisset, facillime hanc a vobis evitari procellam potuisse. sed vos ne totius quidem orbis imperium tanti faciendum, neque ullam tam extimescendam vim, ullum tam formidabile periculum esse judicavistis, ut a fide dimoveri, atque ab officio discedere deberetis. hoc vos animo quum per vos etiam essetis, quippe qui in observantissima officiorum omnium Rep. nati, atque educati estis; multum tamen ad id constantissimus vos Princeps vester & oratione animavit, & auctoritate confirmavit. maximam igitur simul ille, simul vos omnes gloriam consecuti estis. sed magnas, neque eas tamen culpae ullius, sed innocentiae, & laudis poenas dedistis. Quum multi hujus Reip. splendorem, assueti ipsi tenebris, ferre non possent, atque exstinctum cuperent: alii, qui *Italiae* ipsi oppressores, ac praedones essent, aequabile hoc imperium, hanc per tot annos conservatam libertatem, & odio prosequerentur; & timerent, ne vestro aliquando exemplo, totius *Italiae* jamdiu exstincta libertas revivisceret: nonnulli florentissimi, atque opulentissimi imperii diripiendi cupiditate tenerentur: factum est, ut & in vos omnes inter se illi conjurarent: & conjunctissimi vobis *Reges*, ac vestrae semper Reipub. amantissimi, ita fictis improborum delationibus a vobis distraherentur, ut arma etiam sibi in hanc Rempub. sumenda esse judicarent. Hic vero quum vos, subita, atque inexspectata re oppressi, vestras his copias, quaecumque tum repente contrahi potuerunt, opponere cogeremini; accepta

illa calamitas eſt, de qua me quaeſo, Patres optimi, ſilere patiamini. cjuſmodi enim fuit, ut ſine acerbiſſimo animi ſenſu neque a me dici, neque audiri a vobis poſſit. hac clade nunciata, quod tantum animi robur, tanta vis, tanta firmitas eſſe potuit, quam non tanto incommodo labefactari, ac concidere neceſſe fuerit? & certe (ut verum fateamur) trepidatum aliquantum a multis eſt, multorum animi perturbati ſunt: Civitas diu paci, ac proſperis ſemper aſſueta, tanta, & tam repentina rerum omnium mutatione non commoveri non potuit. ſed admirabilis quaedam veſtri Principis fortitudo & ſuis ipſa viribus inconcuſſa permanſit, & eam vocem emiſit, ea gravitate veſtri vos decoris ac dignitatis admonuit, ut erectis omnium animis, nemo umquam in tolerandis adverſis firmior, quam vos univerſi fuiſtis, inventus ſit. Sed non haec ſolum eo tempore in vobis virtus enituit. permultae ſe aliae, quae ante latuerant, ut quamque difficillima illa tempora exigebant, oſtenderunt. quum tantam in vos procellam illam, nullo veſtro merito, ſubito exſtitiſſe videretis, neque, facto ſemel periculo, ſuſtinere ejus vim potuiſſetis; vel alicui Deorum immortalium in vos irae, vel majoribus quibuſdam viribus cedendum eſſe ſtatuiſtis: neque quidquam, quod ad leniendos hoſtium animos accommodatum eſſe videretur, praetermiſiſtis. quanta haec animi moderatio haberi debet? ſed, quum ſaeviores in dies illi, ac ferociores fierent: iidem vos, quum jam moderatione veſtra & Deos, ſiqui irati vobis erant, pacatos, & cauſſam veſtram omnibus jam probatam judicaretis; bellum vobis acerrime, atque omni ani-

morum contentione, gerendum esse decrevistis. & id vero ita gessistis, ut, quum nihil jam vobis hostes, quod aut agere, aut sperare possetis, reliquum esse existimarent: tum vos, recuperata vi *Patavio*, his & illam, & *Taurisium* praesidiis firmaveritis, ut his, quasi frenis quibusdam hostium furori injectis, quum toto hoc bello in has illi urbes prope quotannis irruerent, omnis semper eorum audacia compressa, omnes impetus alio detorti, atque infracti sint. Sed nihil profecto eorum, quae a vobis gesta sunt, mihi aeque memorandum videtur, ac prima illa recepta recens *Patavio* tolerata in ea urbe oppugnatio. centum hostium millia ferocissimis, ac pugnacissimis e nationibus, maximo cum tumultu, derepente, tamquam procella quaedam, ad eam occupandam urbem irruerunt.. vobis quidem & egregii Imperatores vestri, & selecti, qui aderant, milites satis ad eos reprimendos esse videbantur. sed *trecentis* tamen ego *Patriciis* illis *viris*, quos, tumultu illo trepide nunciato, eo mittendos censuistis, opportunissimam vobis Urbem potissimum conservatam puto. Atque in iis quidem omnibus, quae a me dicuntur, quum maxima vobis omnibus, tum vero praecipua quaedam vestro Principi laus debetur. ille enim rebus omnibus praeerat, ille omnium vobis consiliorum auctor erat. sed nulla tamen ille in re, quam hac, quae a me postremo dicta est, majori laude dignus existimandus est. recordamini, Patres optimi, quum vos de patriciis illis *Patavium* mittendis hortaretur, quae verba locutus sit. *Quatuor sibi esse filios*, dixit: *omnes & moribus (nisi patrius se amor fallat) & virtutibus ornatissimos; sibi certe jucundissimos:*

mos : eorum tum in omne se discrimen duos patriae offerre ; nec recusare & reliquos, & se etiam (si id res poscat) pro salute Reip. devovere. quae quum maxima omnium acclamatione excepta essent, egregia illa nobilium juvenum manus hoc exemplo commota ad auxilium patriae ferendum *Patavium* profecta est. hic vero, quum & ipsi illi Principis filii, & reliqui patricii juvenes ubique adessent, nulli non se periculo objicerent, omnes ultro labores subirent; tanta militum vestrorum animis alacritas, tantus hostium contemtus innatus est, ut innumeras illas copias, illam undique circumfusam multitudinem, non solum ad eam, quam ipsi tuerentur, expugnandam urbem, sed ne ad congrediendum quidem secum acie, parem judicarent. itaque quum plures ibi dies hostes consumsissent, suosque omnes conatus frustra esse cernerent; ab incepto desistere, & abire turpiter coacti sunt. magna hoc facinore apud omnes gentes huic Reipub. parta est gloria, magna *Veneto* nomini auctoritas accessit : magnae vero a nobis omnibus nostro Principi, qui hujus facinoris auctor fuit, gratiae haberi debent. Neque vero hac una in re praeclari hujus viri auctoritate compulsi multum Reipub. profuistis. sed, quum plurimis gravi hoc bello sumtibus jam exhaustum aerarium esset, & impendi tamen in exercitus nostros multa necesse esset; credo equidem & egregio vos in patriam amore adductos, privatas in Remp. opes contulisse : non parum ad id vos tamen assiduae etiam nostri Principis cohortationes excitarunt. quoties ille in Senatu, quoties in comitiis, ultra etiam aetatis vires, magna contentione, gravissima hac de re verba habuit ! factum est igitur,

tur, ut, quum penitus jam accisas *Venetorum* res, neque ullum jam ab his diutius exercitum sustentari posse, omnes crederent; tum vero tanta ac tam immensa subito opum vis exstiterit, ut mare potius huic civitati, quo interluitur, quam ullas umquam Reipub. divitias deesse posse, facillime omnibus persuasum sit. Sed ne id quidem a me sileri decet, quod nescio, an iis omnibus, quae a me hactenus dicta sunt, anteferendum sit. quod, quum multos diuturni jam belli taederet: multorum animi adversis iis, quae, ut in tam longo bello fieri necesse est, pleraque acciderant, infracti essent; hic ea semper in sententia perseveravit, quam vos secuti, & maximam admirabilis cujusdam constantiae laudem adepti estis, & in pristinam tandem imperii amplitudinem Rempub. restituistis. Multae quotidie pacis conditiones vobis proponebantur: ac, quum de his saepius ageretur, atque in eas nonnulli, imbecillitate quadam animi nimium pacis cupidi, non magna Reipub. dignitatis ratione habita, descensuri viderentur: quum praeter senectutem, quae gravissimus per se ipsa morbus est, adversa etiam valetudine laboraret; ad hanc tamen ille dissuadendam nec satis fidam, nec decoram pacem praesto semper fuit: semper ea, quae Reipub. dignitas posceret, locutus est. Admirantur *Romanarum* rerum scriptores *Appium* illum *caecum*. quum illi ad caecitatem gravis etiam senectus accederet; quum de *Pyrrhi* pace senatus consuleretur, ad eam se tamen impediendam deferri jussisse. nos de hoc silebimus? qui in summa itidem senectute, impeditiore etiam morbo, quam haberi caecitas debeat, pene confectus, non semel, ut *Ap-*

pius,

pius, sed & hanc ad rem saepius adfuit, & aliis omnibus, quae de Repub. agerentur, rebus toto hoc decennio semper interfuit. profecto nihil est patriae caritate praestantius. ea una omnem illius morbi vim repellebat, omnes senectutis molestias abstergebat. Hic vero, quum ille magnam quamdam animi vim ostenderet: *nihil cuiquam prius, nihil potius Reipub. dignitate esse debere* diceret: *pericula, & labores omnes, mortem ipsam denique bono cuilibet potius subeundam, quam ullam umquam pati Reipub. turpitudinis maculam inspergi: turpi pace suscepta, nulla umquam re deleri hanc labem posse: fortunam Reipub. mutari posse, rerum omnium continuas mutationes esse: sperandum ex iis, quae pertuleramus, adversis esse, jam jam adesse, ut nostrae res in melius verterentur: numquam Reipub. ad tolerandum bellum defuturas opes: Deos etiam immortales Civitati, quae tam pie eos semper coluisset, non defuturos: caverent modo, ne ignominiae notam aliquam Reip. inurentes, Deorum ab se animos, qui illam tutarentur, averterent.* Haec quum ille commemoraret, vos ei, Patres optimi, semper assensi, bellum potius cum dignitate Reipub. vobis gerendum, quam turpi pace quiescendum, statuistis. neque vero est, quod hujus vos sententiae poenitere possit. nam non longo interjecto tempore opulentissimus ac potentissimus *Gallorum Rex*, qui semper antea conjunctissimus huic Reip. fuerat, ac multas vobiscum necessitudinis caussas habebat, quum falsis se malevolorum sermonibus ab amicitia vestra, quam fidissimam sibi semper expertus esset, avulsum videret; occultis in se illorum odiis, ac fraudibus cognitis, id vobiscum foedus iniit, ut, quod intercesserat, dissidium, reintegratio amoris quaedam (quod nonnumquam

fieri

fieri consuevit) fuisse videretur . is ita exercitu paratissimo , ita omni vobis auxilio praesto fuit , ut tantis viribus additis , quae violenta vobis illa proximi belli tempestas abstulerat, ea prope omnia intra paucos dies in potestatem vestram redacta sint. Tum vero, quum satisfactum jam dignitati vestrae judicaretis , atque aequa jam tandem vobis pax afferretur; nullis vos sumtibus , nulli rei parcendum esse, dum ea fieret, censuistis. quam quum item ad rem conficiendam omnem operam amicissimus vobis *Rex*, omne studium contulisset; factum est, ut, sub induciarum nomine , pax sit vobis firmissima constituta. Sed, quoniam commemorandis iis, quae cum omnium vestrum laude conjuncta esse , & ad Rempub. pertinere visa sunt , longior fortasse fui, quam , ut plura jam a me hoc tempore dici possint; multa, quae mihi ipse dicenda proposueram , praetermitti necesse est. sed & satis ex iis tamen , quae dicta sunt, qualis hic fuerit, quam divinus quidam vir haberi debeat , cognosci potest . quam enim e praeclarissimarum illi virtutum coetu , quae aut solae , aut certe maxime in homine laudandae sunt, defuisse dicemus ? profecto si quis eum jam inde ab adolescentia penitus inspicere , tum quae ab illo & in provincialibus, & in urbanis magistratibus gesta sint , quemadmodum denique principatum adeptus, tum tranquillis, tum omnium, quae nobis umquam inciderunt , difficillimis temporibus , Rempub. administrarit , considerare voluerit ; nihil in hoc eorum, quae in magnis ac praeclaris viris admirari consuevimus, desideratum esse cognoscet. Sed ne eorum quidem, quae aut a natura, aut a fortuna homini-

minibus dari solent, quidquam illi admodum defuit. quae quamquam nulla ratione cum animi bonis, de quibus jam abunde diximus, conferenda sunt; ejusmodi tamen sunt, ut nec solam ad beate vivendum virtutem sufficere, nec sine his felicitatem illam, quam omnes appetunt, consequi quemquam posse, praeclarissimi etiam, ac sapientissimi homines existimarint. Ego quidem, quamquam nihil a Diis immortalibus humano generi virtute majus, aut praestantius datum arbitror; non parum tamen ex his etiam eorum in nos benevolentiam declarari puto. quod si ita existimandum est, quis umquam Diis immortalibus carior *Leonardo* fuit? quis eorum muneribus ornatior? praeclarissima in civitate, maxime nobili, atque illustri ortus genere, & egregia quadam forma fuit, & honeste partis divitiis abundavit, & ita prosperos rerum omnium successus habuit, ita semper illius virtutes fortuna comitata est; ut nihil umquam optarit, quod non sit cumulatissime consecutus. omnes in optime constituta Reipub. honorum gradus adeptus, atque illius demum Princeps creatus, in ejus administratione ad extremam usque senectutem vixit. Accessit ad haec, quod & rarum admodum, & difficillimum haberi solet, ut & plures liberos, & egregiae omnes probitatis procrearet. e quibus quum primariis civitatis viris in matrimonium filias collocasset, & *Hieronymo* item e filiis uxorem despondisset, quod magnae cujusdam felicitatis esse creditur, & nepotes, & neptes, & ex his & pronepotes, & proneptes vidit. sed, ut hoc felicissime illi contigit, ita id non licuit, ut omnes sibi superstites filios relinqueret. nam ultima jam in

H sene-

senectute constitutus, quum ad id usque tempus incolumes omnes fuissent, importuna morbi vi, altero ab hinc anno *Bernardum* amisit: quo ingenio? qua comitate? quantae spei juvenem? non levius ego hujus morte illatum patriae, quam patri, vulnus puto. quis hic vir? qualis senator? quantus in Repub. administranda fuisset? sed iniqua illum fortuna nobis invidit. At quanto id tibi, optime, ac miserrime omnium juvenis, felicius cecidisset, si, quum ad tuendam *Patavium* cum *Aloysio* fratre, & invicto illo nostrae juventutis flore profectus, gloriosa pro patria arma ferres, ac nulla tibi in re parceres, omni te discrimini opponeres; tum hostium tibi telis occumbere, ac speciosissimam pro patria mortem obire, licuisset. Acerbissima hac praestantissimi juvenis morte quum nemo tota in civitate esset, qui non ingemisceret: qua eam constantia pater tulit? eadem, qua tot ante patriae calamitates tulerat. non magis hac fortunae injuria dejectus, quam secundis umquam ullis rebus, quae plurimae illi acciderant, sublatus est. ut mihi Dii immortales extremum hoc illius, quem paulo post in suas sedes, ubi veram vitam viveret, ac perpetuo secum aevo frueretur, vocaturi erant, virtutis periculum fecisse videantur. Atque hoc quidem illi e filiis incommodum illatum est. quantas vero, & quam magnas ex his eum voluptates percepisse arbitramini? quantas fortasse nemini umquam contigisse credendum sit. quasi rarum, ac solum prope quoddam felicitatis exemplum, *Metellus* celebratur; quod, quum quatuor illi essent filii, eorum unum praetorem, tres consules, atque ex his unum censorem, duos triumpho in-

insignes vidit. Magnum profecto *Metelli* patris gaudium fuisse arbitrandum est, quum ea filios, quae amplissima in civitate essent, consecutos intueretur. neque tamen tam ego illum laetatum puto, quod hos ad eos delatos honores videbat, qui, quamquam maximi, quod in populi tamen manu sunt, mandari plerumque etiam indignis solerent: quam quod ejusmodi esse illos cognoscebat, ut digni essent, quibus summa omnia tribuerentur. Hoc verum demum gaudium est, eas in filiis virtutes aspicere, ut nullus non illis honos debeatur. quae si ita sunt, ne hac quidem in re, ut alia omnia praetermittantur, minor nostro Principi, quam *Metello*, felicitas contigit. quum enim quatuor itidem huic essent filii, cui tot umquam virtutibus aeque omnes ornatos intueri concessum est? sed & iis etiam, quae merebantur, dignitatis praemiis honestatos, & nullis non honoribus auctos vidisset, si nostri Principis filiis vivo patre magistratus petere per leges liceret. & sibi tamen id ille polliceri potuit, fore, ut, quum ipse excessisset, nullum esset in hac Repub. virtutis praemium, quod illis, quum id a vobis peterent, negari posset. & vivens etiam *Laurentium* filium, ne hoc sibi unum defuisse queri posset, quum ea tempora incidissent, ut is legibus solveretur, in proximum post se dignitatis gradum sublatum vidit. Quum vero optatissimum esse parentibus soleat, quamsimillimos sibi nasci filios; cui hoc umquam benignius, quam nostro Principi, concessum est? atque ego non de hac tantum corporis, sed multo de illa magis, quae in animo conspicitur, similitudine loquor. qua in re ita & inter se, & patri similes huic filii con-

tigerunt, ut facillimum fuerit in omni virtutum ac morum optimorum genere & in patre filios, & in filiis patrem, & in fratribus etiam fratres, agnoſcere. quae quamvis ita ſint, neſcio quo pacto tamen magis omni in re in *Laurentio* conſpici imago patris poteſt. quem quidem ego quum intueor, Patres optimi, non video, cur *Leonardum* nobis ipſum ereptum queri poſſimus. en eadem oris lineamenta aſpicere, eamdem verborum gravitatem audire, iiſdem omnibus virtutibus frui licet. hanc ille egregiam & animi, & corporis ſui effigiem nobis reliquit, multo certe iis omnibus anteferendam, quas plurimas *Romani* ſibi quondam Imperatores, ad propagandam ſui memoriam, ubique gentium collocarunt. ob hanc ego quidem etiam cauſſam, minus illi moleſtam fuiſſe mortem puto, quod quum ipſe patriae eriperetur, & in caeteris tamen filiis ſimillimam ſui imaginem, & in *Laurentio* ipſum quaſi ſe ſibi ſuperſtitem relinqui Reipub. conſpiciebat. Sed quum tam multa Deorum immortalium benignitate noſtro Principi contigerint, ut nihil prope optari a quoquam poſſit, quod non ad hunc abunde delatum ſit; una fortaſſe valetudo non benigniſſime ei conceſſa eſſe videri queat. nam neque in juventute magnis quibuſdam corporis viribus, & infirma, atque affecta morbis ſenectute fuit. ſed qua illi in parte naturae munus defuit, in hac ſibi ipſe (quod multo eſt praeclarius) animi virtute praeſto fuit. nam eam temperantiam adhibuit, ita omnes ſemper, quae corpori officerent, voluptates neglexit, ut in hac imbecillitate tamen ad nonageſimum prope uſque annum (quod ne robuſtiſſimis quidem ſaepe accidit) vitam pro-

produxerit. major profecto ex hac illi virtute laus debetur, quam si illi vel ipsum illud *Milonis Crotoniatae* robur a natura contigisset. atque in hac quidem re, Patres optimi, magnum quiddam est, quod nostro a nobis omnibus Principi debeatur. ab eo enim tempore, quo, proximo hoc maxime saeviente bello, gravissimo pene morbo oppressus est, quidquid ad pristinam illam prorogandae vitae diligentiam addidit, quaecumque, ut viveret, passus est, quaecumque fecit; ea omnia singulari illius quodam in Rempub. amore facta esse, existimandum est. neque ulla in re magis, quam cara illi esset patria, cognosci potuit. quid enim? desiderio haec illum vivendi fecisse arbitramini? quid erat, cur tantopere in vita diutius esse vellet? tot jam annos vixerat, ut, quod in omni re fieri consuevit, satietatem jam tum illum vitae quamdam cepisse credendum sit. eum ex recentibus patriae incommodis dolorem acceperat, ut aegerrime illius se superesse calamitati passus sit. quum omnes etiam tum filios incolumes haberet, atque omnia prope adhuc illi secunda in privatis rebus fuissent; magis erat ut vereretur, ne vivendo quidquam, quod nollet, aspiceret, quam, ut laetius quidpiam sperandum esset. ad haec, quae illi jam ejus vitae cupiditas esse poterat, quae eo jam venerat, ut nihil aliud, quam graviores quotidie morbos, & assiduos ex his dolores, ac cruciatus, exspectare posset? quo haec ergo tam diligens tuendae vitae cura? quo haec vivendi cupiditas? quum videret, si media ipse in tempestate ereptus tantis in fluctibus Rempub. reliquisset, fore, ut vel eo uno, quod diu in substituendo gubernatore occupata futura

tura

tura erat, multa illi inferri detrimenta possent; omnia sibi perpetienda esse censuit, ut, dum eam in tranquillo sisteret, quum sibi jam satis vixisset, patriae certe, cui non minus vivendum esse cognosceret, vitam proferret. Non minores huic igitur gratiae a nobis habendae sunt, quod patriae utilitate permotus, in vita esse sustinuerit, quam ab aliis quondam civitatibus iis sunt habitae, qui vitam pro patria reddiderunt. eorum enim nonnulli ne morte quidem illa quidquam profuerunt: hic tantum vita profuit, ut ejus potissimum consilio, quod nulla illi umquam aetas debilitavit, sed semper auctius factum est, & plurima proximo hoc bello praeclare a vobis gesta, & in tuto demum Rempub. collocatam putem. Quod si aliqua in morte etiam felicitas esse existimanda est: quae certe est: quis in hac illo felicior umquam fuit? cui quidem eo ipso, quo optaverat, tempore, erepta jam e belli fluctibus Rep., & ea firmissima in pace constituta, mori contigit. quin id etiam credendum est, nullo illum cum dolore decessisse. neque enim eumdem in omni morte doloris sensum esse existimandum est. nam quum omnia, quae natura fiunt, cum voluptate fiant: ac, quoniam nati mortales sumus, certus quidam terminus, quo moriendum nobis sit, natura sit constitutus: mortem illam, quae natura contingit, ut non contendam, cum voluptate esse, sine dolore certe est. sit illa acerba pueris: sit iis, qui in juventute sunt; quos e vita, tamquam immatura ex arboribus poma, vi quadam avelli necesse est. senes certe, quibus jam sua maturitas advenit, quod sensim his sine sensu vita surripitur, paulatim deficiunt, ac sine ullo dolore, sua quasi

si sponte exstinguuntur. quae quum ita sint, nunc demum est, quum, peracto jam totius vitae cursu, & beatum hunc, & felicissimum fuisse, affirmare possimus. Quamobrem, ut ad id jam veniam, quod mihi postremum faciendum est, & ad leniendum hunc, quem in vobis omnibus intueor, moerorem aliquid a me dicatur: non video, Patres optimi, cur illius mortem, qui omnes vitae actus felicissime peregerit, tam moleste vobis ferendam putetis. non infinitum nobis quoddam vivendi curriculum propositum est; sed suis & carceribus, & metis terminatum. ac fortasse medio quempiam e cursu abripi dolendum sit: quod quis, omni fortissime decurso spatio, & ad metas pervenerit, & promissa virtuti praemia consecutus sit, si illi amici haberi volumus, laetari certe debemus. at ei, qui recte, ac cum virtute vixerit, pro imbecilli hac mortalitate, immortalem, ac felicissimam a Superis post mortem vitam dari, quum omnes semper omni tempore homines crediderunt, tum nos praecipue, quibus a Deo Optimo Maximo verum ad caelum iter ostensum est, sine ulla dubitatione affirmare debemus. quod si hoc illi contingere potuisset, ut nunc morti ereptus, reliquo omni tempore numquam moreretur; non tamen vos hoc illi optare debuissetis. quid enim? misera illa inter tot hominum calamitates immortalitas cum felici hac inter Deos, & bonis omnibus refertissima, quam adeptus est, immortalitate conferri posset? tantum abest, ut id existimem, ut si illa etiam nobis non sit proposita, magis tamen optandum arbitrer, ex assidua hac humanae vitae jactatione aliquando eripi, quam vel perpetuo in ea versari. quare, omni jam dolore abjecto, illum potius

imi-

imitari, & quae ille consecutus est, a Diis vobis immortalibus optare debetis. Sed haec in universum omnibus dicta sint. Vobis vero, praeclarissimi optimi Principis filii, quae a me consolatio adhiberi potest? privari patre nemini non grave est: tali patre privari, talibus, ac tam piis, quales vos estis, filiis gravissimum: neque fieri ullo pacto potest, neque id natura concedit, ut non maximo dolore afficiamini. sed profecto, si ipsa haec eadem, & quo patre nati, &, quales vos sitis, considerare volueritis, omnem a vobis doloris impetum fortissime rejicietis. quam forti pater animo *Bernardi* filii mortem tulit? qua constantia tot longe illi filii morte graviores patriae calamitates? at paternam hanc virtutem vos praecipue praestare convenit. & hi vero vos estis, hae jam in vobis visae virtutes sunt, ut animi fortitudinem, quae maxime viros decet, vobis deesse turpissimum futurum sit. quam ne in vobis desiderare videar, omittenda mihi haec omnis orationis pars videtur, & vos potius ad tam egregium imitandum patrem cohortandi. sed & eam etiam orationem vestra mihi virtus eripuit. quid enim vos incitem? qui ita in cursu estis, ut non illius modo vestigiis insistatis, sed & omnibus jam eum virtutibus aequaveritis: &, si ulla id fieri ratione potest, etiam superaturi esse videamini. Quamobrem vos quidem, quo cepistis, pergite, &, quae in vobis sunt, praestate: caetera, quae patri concessa sunt, pro virtutibus vobis vestris a Diis immortalibus evenient.

M. D. XXI. Die XXV. Junii.

AN-

ANDREAE NAUGERII
PATRICII VENETI
EPISTOLAE QUATUOR,
Quae vulgo PRAEFATIONES appellantur.

EPISTOLA I.
IN M. T. CICERONIS ORATIONUM VOLUMEN I.

LEONI X.
PONT. MAXIMO
ANDREAS NAUGERIUS.

MAGNA quaedam res eſt; & ut nihil fortaſſe praeſtantius, ita longe difficilius quiddam, quam homines opinantur, eloquentia excellere. uni eſt id homini a natura datum, ut ea, quae mente concipimus, communicare inter nos, ac dicendo animi ſenſa eloqui poſſimus. hac una re maxime a caeteris nos animantibus natura ſejunxit. haec jam inde ab initio humani generis egregias nobis ſemper utilitates attulit. atque haec quum aeque omnibus conceſſa ſit: unum quempiam e multis eſſe, quem magna caeteri cum admiratione dicentem audiant: cui maximis ita plerumque de rebus aſſen-

tiantur, ut illi potius, quam ſibi ipſis, credendum putent: qui clamores, qui lacrimas, qui riſus, quum velit, moveat; atque omnes adeo animorum motus, quaſi habenis quibuſdam, regat: qui denique ita loquatur, ut tantum prope reliquae hominum multitudini praeſtare videatur, quantum homines ipſi beſtiis antecellunt: profecto id fieri neceſſe eſt, quod is & longe praeſtantiora quaedam, quam alii omnes, cogitatione, atque animo complectatur: & ea, quae cogitarit, admirabili, ac divina quadam dicendi ratione explicare, ac proferre poſſit. At hoc, ſi quis id recte conſideret, ejuſmodi eſt, ut eo omnia, quae in hominum cognitionem cadere poſſunt, comprehendantur. quid enim illi, qui & res omnes, de quibus poſſit accidere ut aliquando loquendum ſit, optime omnium teneat (quod ei, qui perfecte eloquens eſſe voluerit, neceſſarium eſt) & ornatiſſimis, ac graviſſimis eas verbis illuſtrare, atque omni lumine orationis queat, deeſſe dicendum eſt? id vero quam arduum, ac magnum ſit, vel ex eo facillime cognoſci poteſt, quod, quum nemo fere umquam fuerit, qui non hanc ſibi eloquentiae gloriam ſummopere appetendam duxerit: permulti vero acerrimo ingenio homines nihil aliud ſummo ſtudio tota vita egerint: perpauci tamen tot aetatibus inventi ſunt, qui ita probati ſint, ut non multa illis deeſſe viderentur. Et certe ſingulas quaſque artes egregie aliquem noviſſe permagnum eſt: nedum ut plurimae ab uno quopiam comprehendi poſſint. Sed, ut ea quis etiam ingenii felicitate fuerit, ut omnium ſit maximarum rerum ſcientiam conſecutus, tum vero quoties illi dicendum ſit, ſuo quidquid lo-

co

co collocare, quantae prudentiae eſt? Jam res ipſas eo orationis genere, his verbis ornare: eaque ipſa verba tam compoſite, tam concinne, tam apte inter ſe connectere, ut nihil illuſtrius, nihil auditu jucundius eſſe poſſit: id vero longe omnium difficillimum haberi debet. profecto quum multa etiam in oratore alia requirantur, ab hac una re tamen eloquentiae inditum nomen eſt. Quid de actione dicam? huic primas, huic ſecundas, huic tertias tribuiſſe *Demoſthenes* dicitur. hac una ſi careat, ut caetera illi omnia cumulatiſſime conceſſa ſint, nihil eſt, quod magnum ab ſe quidpiam effici poſſe orator putet. at ejuſmodi ea eſt, ut, ſi cui a natura negata ſit, parvum ſit, & exile quoddam, quod ab arte tradatur. Sed & multo minus memoria aut procreari, aut inſeri arte ulla poteſt. ratio certe quaedam, qua ea adjuvetur, reperta eſt; ſed haec nulla ſit, niſi idipſum prius naturae bonum in ingeniis noſtris exſtiterit. at haec in oratore quaſi fundamentum quoddam eſt, quo ſublato caetera omnia collabi neceſſe ſit. Quamobrem, quum ex his eloquentia rebus conſtet, quae partim maximo viri ingenio ſumma ſibi induſtria, ac labore parare tamen poſſunt: partim, niſi a natura contigerint, nulla ipſi nobis fingere ratione poſſumus: nihil dicendi laude difficilius, nihil perfecto oratore inventu rarius exiſtimandum eſt. Sed quo plures huic laudi propoſitae difficultates ſunt, eo magis &, ut eam adipiſcantur, eniti omnes decet, & ſi quis adeptus fuerit, admirabilior, & quaſi quidam inter homines Deus haberi debet. quid enim ex omnibus humanis rebus ad Deorum propius poteſtatem accedit, quam poſſe & inimicos,

micos, quum velis, laedere, & amicis adjumento esse: & repugnantes tuam in sententiam adducere, & consentientes confirmare: consolari, hortari, ad misericordiam, ad odium, ad quemcumque animi motum, quos volueris, vel invitos impellere? haec ea nimirum sunt, quae non fieri humana vi, sed divinum esse quiddam homines arbitrentur. Atque in hac quidem re sunt, qui omnium maxime *Graecos* homines admirentur, ac longe nostrorum ingeniis anteponant. Et profecto, quod in omni ei studiorum genere non minus contigit, summorum semper oratorum copia *Graecia* redundavit. e *Romanis* quamquam multos fuisse legimus, qui plurimum dicendo potuerint: qui nihil non eloquentia assecuti sint; & complures ex his tamen nihil omnino literis mandaverunt, & eorum, qui aliquid scripserunt, praeter unius *Ciceronis*, nihil cujusquam exstat, quod proferre possimus. Sed & in tanto hoc tamen eloquentiae naufragio, magnae ob id saltem Diis immortalibus a nobis gratiae haberi debent, quod hunc potissimum superesse voluerunt. tantum enim uno ego in *Cicerone* ponendum arbitror, ut hujus unius dicendi facultate non aequatam modo cum *Graecorum* omnium eloquentia *Latinae* orationis copiam, sed & longe factam superiorem putem. Tria sunt, quae ab optimo effici oratore debeant: docendus, delectandus, permovendus auditor. hinc tria etiam nata sunt dicendi genera, tenue, medium, grave. ad docendum tenue accommodatum est: medio delectatio paritur: permovemur gravi. qui unum aliquod horum genus assequi potuerunt, magni habiti oratores sunt: qui omnia, maximi. Ac fuerunt quidem e

Grae-

Graecis aliqui, qui subtili quodam & sententiarum, & verborum genere eo acumine, atque elegantia dicerent, ut nihil illis limatius, nihil enucleatius esse posset. Expolitum alii, ac suave dicendi genus secuti, & audientium animos maxime delectarunt, & celebre sibi inter oratores nomen peperere. uberiores nonnulli, & ampliore quadam orationis usi dignitate, quum magnam vim hominum mentibus admoverent, magnam ipsi eloquentiae gloriam consecuti sunt. Quum vero non eodem modo omnia dicenda sint, sed uniuscujusque rei sit certa, & propria quasi quaedam vox: qui idem, quum res posceret, submisse humilia, media temperate, ample grandia posset dicere, nemo fortasse ex his, praeter *Demosthenem*, inventus est. at nisi his omnibus generibus ita oratio distincta sit, ut id semper, quod maxime deceat, conservetur; non est, quod exactam se quisquam, & absolutam eloquentiam adeptum arbitretur. His ita omnibus generibus noster praestitit, ut ne ex his quidem, qui in singulis floruerunt, in eo ipso genere sit illi aliquis conferendus. nemo hoc in parvis pressior, in temperatis ornatior, in magnis sublimior: nemo judicem acutius docuit, delectavit jucundius, incitavit ardentius. Quae ut in *Demosthene* etiam paria fuerint, sunt tamen, qui existiment, longe illius orationem jucundius his salibus, quibus maxime abundat *Cicero*, potuisse condiri. sunt, qui commiserationes desiderent; quibus ille ut *Atheniensium* lege sit uti prohibitus, magnum tamen quiddam est, quod illi desit. qua in re ita omnibus praestare *Cicero* existimatus est, ut in his etiam caussis, quas una cum illo *Q. Hortensius*, aut alii ea tem-

tempestate summi oratores agerent, extremus tamen perorandi locus eorum ipsorum concessu huic semper relinqueretur. Jam in *Epistolis*, quum amborum exstent, tantus in nostro lepos, tanta urbanitas, ea suavitas, is candor, tam purus sermo, ea, quum de republica loquitur, gravitas; ut mirum sit, quanto intervallo vincamus. Quid? ubertas ingenii, plurimarum, ac praeclarissimarum rerum cognitio conferri potest? illius *Graeco* tantum sermone complures modo *Orationes*, & *Epistolas* quasdam legimus. hic & *Graece* homo *Romanus* eo ornatu plura scripsit: tam praeclare nonnumquam, quum res tulit, locutus dicitur: ut ipsi etiam *Graeci*, hujusce facultatis peritissimi homines, non minus suae illi linguae elegantiam concederent, quam hanc etiam sibi laudem eripi moleste ferrent: & omnibus *Latinae* eloquentiae partibus unus satisfecit, neque ullum non posteris monumentorum genus reliquit. *Orationes* in omni genere plurimas, magna *Epistolarum* volumina edidit. Sed & a *Musis* etiam non alienus fuit. quin & *Latinos* omnes, qui ante se fuerant, poëtas facillime superavit, & multo etiam fortasse progredi longius potuit, nisi majoris cujusdam gloriae ad se illum splendor rapuisset. Ad haec, ne ea, quae magno sibi ipse labore, atque acerrimo studio peperisset, invidere juventuti videretur, de *Arte* etiam *dicendi* sibi scribendum existimavit. quibus in libris quum pervulgata rhetorum praecepta negligens, aliud quoddam ad eloquentiam esse iter diceret; vel ex eo id verum esse, quod ab se diceretur, ostendit, quod de his ipsis rebus (quod nulli umquam dicendi magistri potuissent) elegantissime locutus est, & in eloquentiae praeceptis

ptis tradendis nullam non eloquentiae vim adhibuit. Neque vero his finibus abundantis ingenii flumen tenuit; sed longe effusus latius in omnes prope *Philosophiae* sinus delatus est, & in avitam tandem possessionem, ex qua eam nullo jure dejectam esse, saepissime conquestus fuerat, eloquentiam restituit, atque ex angustis extractam finibus paterno in regno collocavit: & id esse proprium oratoris docuit, de unaquaque re proposita posse & ornate, & apte dicere. Sed nulla profecto ex re magis cognosci praestantia oratorum potest, quam ex eo, quod ab his dicendo efficitur. ac recte id mihi quidem dictum videtur, ut in fidibus ex eo, qui reddatur, sono, illius, qui pulset, scientiam perspici: sic eloquentiae vim ex his maxime motibus, qui in audientium animis cernuntur, intelligi. Neque vero dici potest, non multa *Demosthenem* effecisse dicendo. amens sim, si e maximis, atque omnium illi summorum hominum consensu tributis laudibus quidquam coner detrahere. quum praesertim ipse etiam illum *Cicero* longe omnibus anteponat: & quoties dicturus esset, e tota *Graecia* ad eum audiendum solitos fieri concursus affirmet. sed tamen, quum maxime floreret *Demosthenes*, & praelatum etiam illi *Demadem* legimus, & *Phocionis* seu quaedam acerrima loquendi vis, seu populo cognita vitae integritas ita eum saepe pervertit, ut ipse etiam *suorum* illum *verborum securim* sit solitus appellare. *Ciceronis* aetate, quamquam nulla umquam aut plures, aut praestantiores oratores tulit; neque pari tamen dicendi facultate quisquam inventus est, neque tam probata vitae sanctitas in ullo fuit, ut ea magis, quam illius oratione, ho-

homines moverentur. hujus accusationis impetu perterritus a *Verris* patrocinio, quum & eum maxime defensum vellet, & nihil esset, quod non assequi dicendo posse crederetur, *Hortensius* destitit. hic gravissimam illam *M. Catonis* auctoritatem, & dicendi severitatem, quo nemo omni virtute praestantior umquam fuit, si quando sibi obstitit, orationis copia, & festiva quadam comitate semper elusit. ac, ne omnia conquirere ambitiosius videar: ut toties permotos judices, toties Senatum, toties populum praetermittam: ut oppressam *Catilinae* audaciam, universam in *Antonii* odium concitatam civitatem sileam: quanta vis illius orationis fuerit: quam facile ad ea, quae vellet, homines attraxerit: vel id unum nobis esse argumento potest, quod quum praeclaro illo statim ab se inito Consulatu, *Lege Agraria* ab seditiosis Tribunis plebis proposita, magnos in republica concitari motus intueretur; & in concionem Tribunos vocare, & ipso etiam disceptatore populo, cujus obsistere commodis putabatur, uti non dubitavit. atque hic ita locutus est, ita eorum, quae ad pertractandos hominum animos necessaria essent, nihil praetermisit; ut nemo umquam tanta populi voluntate populare quidquam suaserit, quanta hic maxime omnium gratam, ac jucundam populo legem evertit. Non immerito igitur &, quum viveret, regnare in judiciis dictus est, & post mortem, ad hodiernum diem sic apud omnes gentes illius nomen viget, sic in dies augescit; ut nulla id umquam oblivio obscuratura, nulla ejus laudibus allatura finem aeternitas videatur. hic ipsam illam absolutae eloquentiae speciem, quam suo ipse in

Ora-

Oratore quaerit, quam vix animo intuemur, quam in nullo *Antonius* viderat; oratorum omnium unus expressit. huic quo similior aliquis, eo eloquentior haberi debet: hujus scriptis ne cogitare quidem ornatiora possumus. utinam, quae eorum multa aut injuria temporis, aut assidua tot saepe bellis *Italiae* vastatione perierunt, ea pervenire omnia ad manus nostras potuissent. longe opulentior *Romana* lingua, longe instructior *Latinae* eloquentiae supellex esset. Sed ut multa intercepta sint, bene id cecidit, quod ex his, quas scripsit, *Orationibus*, in quibus omnis dicendi vis, omnis eloquentiae ornatus explicatur, paucas admodum desideramus. quamquam & in his id queri possumus, quod, quas non *Antonii* proscriptio, non belli furor, non tot annorum spatium eripere nobis potuit; has ita proximorum saeculorum inscitia, quasi rubigo quaedam, foedavit; ut in suum eas nitorem restituere immensi cujusdam operis esse videatur. nos quidem, quantum in nobis fuit, quantum vetera nobis exemplaria adjumento esse potuerunt, quam potuimus, opem afferre conati sumus: neque quidquam a nobis fieri potuisse existimavimus, quod magis his, qui eloquentiae studio tenentur, prodesset, quam si ipsae hae *Ciceronis Orationes*, hoc est ipsius fontes eloquentiae, unde haurire abunde possent, perpurgati a nobis essent. qua in re tantum tamen abest, ut nihil praetermissum esse affirmare velimus, ut jacta tantum fundamenta a nobis esse; opus ipsum, si multi hoc exemplo pari in id studio, ac labore incubuerint, tum demum posse fortasse aliquando perfici existimemus. Atque has nos quidem *Oratio-*

nes ob id praecipue, Leo Pontifex Maxime, ut alia praetermittam omnia, sub tuo nomine exire voluimus, quod te, quamvis in ea amplitudine collocatum, ut nemo mortalium propius Deum attingat, maximis semper occupationibus distineri necesse sit, & his tamen maxime delectari, & numquam intermittere literarum studia audimus: neque quemquam a te pluris fieri, quam, qui aliquo optimarum artium genere caeteris antecellat. & hujus quidem rei id jam inde ab initio amplissimae hujus dignitatis tuae indicio omnibus esse potuit, quod *Petrum Bembum, & Jacobum Sadoletum*, viros uti summa inter se benevolentia conjunctissimos, ita tum moribus, tum omni literarum genere & quamsimillimos, & nostrae aetatis omnium ornatissimos, *A secretis* habere voluisti. jam tum magna mihi oblata spes est, fore, ut omnes tuo auxilio bonae artes reviviscerent, quum tibi eos, qui in his excellerent, adjungendos, atque omni dignitate honestandos putares. Sed non hoc uno nobis tuus hac in re animus perspectus est. permultis se ille aliis quotidie signis ostendit: & praeclarissimorum semper ingeniorum parens plurimos tibi *Roma* omni doctrina praestantes viros sufficit: & his non inferiores ex omnibus eo terris, ut in communem quamdam nationum omnium, ac totius terrarum orbis patriam, permulti confluunt. quippe eo jam inde ab initio nata fato *Roma* est, ut, quod ubique terrarum egregii exortum esset, una susciperet. hos tu omnes ita amplecteris, ita omni benevolentia prosequeris, ut cum nullo hominum genere libentius vivas, nulli ad te aditus faciliores sint, nul-
li

li tua magis liberalitas pateat. ex his ego, & pluri-mis illis, quae in te elucent, virtutibus in eam opinionem adductus sum, ut ob id ab Deo te O.M. & terris datum, & toti *Christianae* Reipublicae praepositum arbitrer, ut tu is sis, cujus ductu in antiquam illam tum imperii, tum omnium & virtutum, & bonarum artium amplitudinem *Roma* restituatur. Sed agendum id profecto ex his tibi prius est, quo urgemur magis: cui nisi occursum fuerit, magnae esse nobis calamitati potest. Nimia jam audacia *Christiani* in nos *Nominis hostes* efferuntur: nimis proterve nobis insultant; dum multos jam annos omnes eorum injurias toleramus, in maximum contemtum venimus: neque quidquam est, quod sibi in nos licere non putent. Quas illi per hosce annos regiones, quos agros non saepius devastarunt? quos non sinus penetrarunt? quibus ex oris praedam non abegerunt? quam nobis ignominiam non intulerunt? quin etiam (foedum Dii immortales facinus) florentissimam illam, illam & literarum, & virtutum omnium parentem *Graeciam*, nobis tacentibus, atque adeo prope tradentibus, immanissimae gentes occuparunt. nos socios atque amicissimos nobis *Reges* ante oculos prope nostros opprimi, ac regnis exui passi sumus. nostra tum scilicet res non agebatur? nihil eorum ad nos calamitas pertinebat? satis erat suos quemque fines tueri? nihil praeterea curandum erat? Nimirum nostra hac negligentia id factum est, ut magnae illis brevi tempore vires additae, magna nobis auxilia detracta sint. neque suis illi viribus, sed nostra socordia creverunt. Nos, nos inquam in nos eos aluimus, nos ita auximus, ut multa jam ab il-

lis merito, nisi provisum fuerit, timeri possint. Sed providendum profecto est; neque quidquam jam, quod turpe nobis futurum sit, ferre debemus. tuumque adeo hoc esse munus, hoc tibi onus incumbere omnes existimant. Neque tamen (quamquam ne hoc quidem praeter te alius quisquam potuit) a te id solum postulatur, ut a finibus eos nostris avertas, ut exsultantes, ac temere in nos irruentes reprimas. majus quiddam est, quod tuae a te magnitudini deberi videatur. nisi ultro illato illis bello & omnis ante suscepta nobis labes eorum sanguine eluatur, & illi penitus, ne se aliquando in nostram perniciem efferre possint, exscindantur; satisfieri tantae de te omnium exspectationi nullo pacto potest. Neque vero factu id difficillimum futurum est; si te auctore sublatis, si quae intercedunt, simultatibus, *Christiani* inter se *Reges* conspiraverint, & in communem hostem communi consensu suscipiendum sibi bellum esse existimarint. quid enim his viribus opponi poterit? verendum credo nobis erit, ne paucis illis peditum cohortibus, ne inermibus illis, ut innumerabiles sint, equitibus hostium, tot (ut alios omittam) invictae *Hispanorum*, tot *Helvetiorum* legiones, instructissimus ille *Gallorum*, ille *Italorum* equitatus pares esse non possint? ne primum quidem impetum, ne clamorem illi quidem nostri exercitus ferre poterunt. Agis tu quidem dies, noctesque unum hoc omnium maxime. neque quidquam omittis, quod ad conciliandos inter se, atque in hostem inflammandos *Christianorum* animos fieri oporteat: atque eo jam tuis monitis, & hortatibus adducta res est, ut potentissimi jam *Reges* veterum injuria-

rum

rum obliti, & amicitiam ineant, & ad colloquia veniant; ut & communibus una de rebus consilium capiant, &, quae ad *Christianae* Reipublicae salutem, ac dignitatem pertinere visa fuerint, constituantur. Sed & reliquum tamen quiddam adhuc est, quod tibi agendum sit. quae prope omnes jam praesferunt, ea, quanta fieri celeritate poterit, maturanda sunt. Nescio quis jamdiu *Christianorum* mentes torpor invasit, qui, ut optime tua auctoritate animati sint, diutius tamen procrastinantur, quam opus sit; ac multas quotidie bene gerendae rei opportunitates praetermittunt. hunc dum penitus somnum excutias, hanc dum tollas segnitiem, nulla sit res, quae ab eo te, quod tam praeclare cepisti, deterrere possit. hoc unum quum effeceris, tum denique, quod tamdiu machinaris, quod tanto opere moliris, quod tecum semper cogitas, effeceris. Erit, erit profecto dies illa, quum te longissime prolatis finibus, devictis omnibus, quae *Christiano* umquam *Nomini* infensae fuerint, nationibus, cum insigni laurea redeuntem intueri liceat: quum tota te *Italia*, totus terrarum orbis, ut quemdam ad levanda nostra incommoda e caelo delapsum Deum, vereretur: quum tibi obviam cunctis ex oppidis omnium generum, omnium aetatum multitudo se omnis effundat: tibi patriam, tibi penates, tibi salutem, ac vitam denique, depulso crudelissimorum hostium metu, acceptam referat: quum ipsi etiam se tibi agri nova quadam rerum omnium ubertate laetiores ostendant. Tum tu maximis omnium plausibus *Regum* medius *Romam* invectus pulcherrimum, ac justissimum triumphum ages: tum demum pace

terris

terris omnibus per te parta frui nobis licebit: tum denique omni & bello, & belli timore sublato, alumnae pacis, atque otii literae uberrimo se proventu efferent: tum plurima inter hostium spolia tot illa a veteribus illis *Graecis* monumenta scriptis tradita, quae nunc in misera, & diuturna hac *Graeciae* servitute oppressa delitescunt, per te ex tenebris extracta conspicientur. quin & *Latina* fortasse pleraque belli hinc impetu nobis ablata recipientur: aut certe pacatis jam rebus alicunde emergent, atque ex omnibus ad te partibus deferentur. tum & alia plurima, & *Ciceronis* fortasse tum ea, quae desiderantur, in lucem prodibunt: tum haec, quae manca & mutilata legimus, integra, & emendata reperientur. Neque vero in antiquorum scriptis emendandis diutius teneri quemquam necesse erit: sed in maxima optimorum librorum copia, maximo, ac tutissimo otio exsistent fortasse, qui majora conentur, & ipsam etiam antiquitatem provocare scriptis audeant. profecto aut numquam posthac futurum est, aut tua id haec aetas videbit. Interea hos labores nostros, qui, tam corruptis veterum libris, & necessario suscipiendi, & maxime utiles habendi sunt, ne contemne: & ea, quae ut futura credamus, maximam tu ipse nobis spem attulisti, quae semper meditaris, quae animo semper agitas, quae immortalem tibi apud omnes gentes gloriam paritura sunt, quae profecto tibi debentur; uti nulla interposita mora quam celerrime fiant, appropera.

EPI-

EPISTOLA II.

IN M. T. CICERONIS ORATIONUM VOLUMEN II.

PETRO BEMBO

ANDREAS NAUGERIUS.

QUUM multae, ac variae, Bembe, artes sunt, quibus maximam inter mortales gloriam consequi possumus: tum duae praecipue in amplissimo & dignitatis, & laudis gradu locare homines consueverunt; res militaris, & eloquentia. Hae quum ejusmodi sint, ut nulla sit ars alia, quae plura in communem omnium utilitatem afferat, nec quidquam ab hominibus geri possit, quod non harum praesidio egeat, & sub earum quasi tutela contineatur: quippe illa bellum administratur, haec pacis moderatrix est; in quarum rerum altera civitates semper esse necesse sit; nullum gloriae, nullum honoris praemium est, quod non illis merito tribuendum putetur. Sed, quoniam ita natura comparatum est, ut longe acrius nos ea perturbent, quae molesta sunt, quam jucunda delectent: quod ea incommoda, quae plurima inferre bellum solet, Imperatoris scientia propulsantur: tum id, quod primum ab hominibus ducitur, imperii saepe fines proferuntur: ipsius denique pacis commodis tum denium, quum bellum sublatum est, perfrui possumus; hinc factum est, ut a plerisque longe Impera-

peratoria laus eloquentiae praeferretur. neque vero in ullam mihi nunc partem disputandum est. hoc tantum dixerim: si quis ipsas has per se artes consideret, non esse, cur tam facile inferior Imperatore Orator haberi debeat. quid ille, ut praeclare omnia, quae ei cognoscenda sunt, teneat, sine peditatu, sine equitibus, sine reliquo belli apparatu, facere umquam poterit? quid? nisi fortuna adfuerit? in cujus manu quum humana omnia, tum praecipue belli eventus esse existimatur. Hic nullius praeterea opera, aut auxilio indiget: solus sibi ipse sufficit: solus ipse sine ullo comitatu, quod in ipsa arte est praestare, ac suum tueri munus potest. quid? quod sine dicendi vi ne ipse quidem Imperator satis instructus haberi debet? consolandi saepe milites, reprimendi, animandi in hostes sunt: ea plerumque incidunt tempora, ut una haec ars maxime omnium necessaria in castris sit: huic uni magni saepe exercitus profligati, magnae partae victoriae debeantur. Sed haec omnis hoc tempore disputatio omittatur; atque id modo mihi satis sit, in pacatis civitatibus nulla re magis homines, quam eloquentia, caeteris anteferri. hoc, ut vetustiora omnia praetermittam, nonne in nostra maxime Republica intueri possumus? in qua quum omnibus bonis artibus sit suus semper honos habitus, nulli tamen ampliora, quam eloquentiae, praemia constituta sunt. Quam multi patrum memoria, quam multi nostra, ob hanc unam, ad summos honorum gradus evecti sunt? neque id immerito; quum enim omnia majorum nostrorum instituta, quibus haec Urbs administratur, nihil prope aliud, quam pacem, spectent; quisnam potius ad hu-

jus-

jusmodi Reipublicae gubernacula admittendus ſit, quam is, qui pacis artibus eruditus, quem ſibi illi propoſuerunt, tenere curſum poſſit? unus profecto Orator eſt, qui omnia, quae ad conſervandum hunc Reipublicae ſtatum neceſſaria ſunt, complectatur. Hic improbos ejicit, tuetur bonos: alienam a Reipublicae commodis, & dignitate ſententiam refellit: quae utilia ſimul, & decora exiſtimat, perſuadere conatur: virtutes laudando, quaſi exempla quaedam, quae imitari debeant, civibus proponit: vitia improbando, quid fugiendum maxime ac vitandum ſit, oſtendit: denique, quaſi in ſpecula quadam poſitus, omnia circumſpicit, ac nullam Reipublicae partem praetermittit. Non eſt igitur, quod miremur, ſi eam artem, quae omnium maxime hominum commodis, ac ſaluti conſulit, maxime homines admirantur; &, qui ea praeſtat, praeſtare caeteris, & unum plurimum poſſe volunt. Sed quamquam maxima in hac Republica propoſita ſunt eloquentiae praemia: & hac multi via ingreſſi, ad ſummos ſaepe honores pervenerunt: non eſt adhuc tamen is noſtra in Civitate orator auditus, qui perfecte eloquens dici poſſet. quod nulla arte adhibita, ingenii vi, & exercitatione, atque uſu quodam effici potuit, id noſtri homines conſecuti ſunt. ornatior ille ex eruditione cultus, & ea, quae maxime oratorem inſtruunt, praecepta defuerunt. ſed neque id, quod omnium maximum exiſtimandum eſt, e probatiſſimis quempiam ſibi umquam illi, quem imitarentur, propoſuerunt. talem neminem quum audirent, ne ex veteribus quidem aliquem, quod alia eos lingua locutos videbant, magnopere quaeren-

dum esse, judicaverunt. qua in re tantum abest, ut ego illis assentiar, ut id etiam censeam: alia numquam ratione summam illam eloquentiae gloriam acquiri posse. Ac *Latina* nos quidem lingua jam pridem loqui destitimus: & haec, qua nunc utimur, recentior multos jam annos tota *Italia* successit; sed & ex illa tamen transferri in hanc permulta possunt: neque ullus elegantis orationis ornatus reperiri potest, quem ipsa haec non recipiat. adhibendas modo *Latinis* scriptoribus nostri homines sibi aures, atque animum existiment: hinc rerum cognitionem, hinc ea, quae necessaria ad dicendum praecepta sunt, hinc verborum ornamenta hauriant: hinc demum sibi aliquem deligant, cujus similes velint esse: non est quod desperem, si ad naturae vim, & frequentem dicendi usum haec etiam accesserint, fore, ut aliquando nostra etiam in Civitate summus orator audiri possit. Ne *Romae* quidem, quae hac maxime laude floruit, id prius contigit, quam eloquentiae studiosi *Graecorum* hominum sibi scripta evolvenda, &, quae ab illis essent tradita, percipienda esse penitus putaverunt. tum denique ita verbis, ita sententiis, ita omni dicendi copia, omni ornatus genere *Romana* se oratio locupletavit, ut ipsius etiam harum rerum & inventricis, & perfectricis *Graeciae* felicitati brevi tempore se adaequaverit. Idem nunc nobis faciendum est. ut a *Graecis* illi, sic a *Latinis* nostri, si esse aliquid volunt, multa transferant necesse est. quum omnes antiqui scriptores perlegendi, tum praecipue *Ciceronis* scripta, & ex his *Orationes* maxime semper in manibus habendae sunt. nullus neque in judiciis, neque in consultationibus incidere

locus

locus poteſt, cujus non plurima hinc exempla, tamquam e theſauro quodam, depromi poſſint. Sunt quidem & alii, qui egregie ſcripſerint: nec quiſquam omnino e veteribus illis eſt, quem ego non plurimum profuturum arbitrer. Sed unam fortaſſe illi aliquam eloquentiae partem abſolverint. huic uni ita omnes illius opes conceſſae ſunt, ut eas noſtri oratores ſi adepti fuerint, nihil ſit, quod ſibi praeterea deſiderandum putent. ita enim locutus eſt, ut *Ciceronis* vox ipſius vox eſſe eloquentiae videatur. quam ob rem quum hujus *Orationes*, quas, ut pleraque omnia, vetuſtas pene delerat, *mea* nunc *opera* longe emendatiores factae & facilius intelligi, & libentius legi poſſint: non *Latinae* ſolum linguae profuiſſe, ſed & meis etiam civibus, qui dicendi facultate hominum ſibi ſtudia conciliare, atque in Republica principes eſſe voluerint; ſi ſibi has legendas duxerint, quo majus quiddam, quam caeteri adhuc omnes conſecuti ſunt, adipiſcantur: non parum opis attuliſſe videri debeo. qua in re ſi excellenti eloquentia homines praeter caeteros Reipublicae utiles habendi ſunt, nonnihil ipſi etiam Reipublicae profuiſſe exiſtimandus ſum. Harum ego *Orationum* quum *primum* nuper LEONI X. PONTIFICI MAXIMO *volumen* miſerim: cui hoc *alterum* a me potius, quam tibi, BEMBE, mittendum fuit? ſi amicus quaerendus, quem mihi ego te amiciorem putem? qui novum aliquod quotidie tuae in me benevolentiae ſignum oſtendas, neque umquam bene de me mereri deſinas; ut tuus ſcilicet ille in me animus, qui mihi quidem eſt perſpectiſſimus, perſpectior in dies tamen & mihi, & caeteris omnibus eſſe poſſit. Si is, cui plurimum de-

berem; ea ſunt tua in me merita, ut ego ne ad habendas quidem tibi gratias parem me eſſe ſentiam, & ea idcirco non commemorem, ne, quum & plurima, & maxima a me dicta fuerint, & plura tamen, & majora praeterita eſſe videantur. Quid? quod *Ciceronis* ſcripta nemini aptius mitti potuerunt, quam ei, qui ita illa ſequitur, ut aſſequatur. tibi quidem & felix, & ad omnes aeque res accommodatum ingenium eſt. ſed neſcio quo pacto tamen hac una in re maxime elucet, quod quemcumque dignum judicaveris, quem tibi proponendum putes; praeclare tuis ſcriptis ſemper effinxeris. quis ſoluta umquam oratione ipſum hunc *Ciceronem*, tam uberem, tam unum ex omnibus omni re abſolutum oratorem, felicius reddidit? quis verſibus divinam illam *Maronis* vim, & majeſtatem propius acceſſit? Magnum quiddam, hac praeſertim tempeſtate, feciſſe videri ſolent, qui in horum altero ita elaborarint, ut non omnem ſaltem operam luſiſſe exiſtimentur. tu, qui in utroque excellis, quibus laudibus, quanta admiratione dignus es? quid? *noſtra* hac *lingua*, quam non ſecus nunc, ac veterem quondam illam *Latini*, ſibi *Etruſci* vendicant, nonne hoc tibi idem contigit? cujus omnem ita elegantiam aſſecutus es, ut, quum & multa jam a pleriſque eo ſermone ſcripta ſint, quae nonnulli vel *Latinis* etiam aequanda cenſeant; neque eorum tu cuiquam ullo in genere cedere videaris: longe tamen majus quiddam, quam ad hanc diem effectum ſit, de te ſibi homines polliceantur. hanc adeo tua illa ſcripta, quae partim maxima cum tua laude in manibus hominum jamdiu verſantur: partim egregie inchoata apud te adhuc

ſunt,

ſunt, exſpectationem excitarunt. Tu profecto is eras, qui eam gloriam, quam deſiderari adhuc diximus, in noſtram Rempublicam inferre poſſes. ſed alia te ab hac cura negotia averterunt. ab Leone X. Pontifice Maximo accitus, qui illi *A ſecretis* eſſes, a nobis abſtractus es: & earum, quibus orbis regitur, curarum particeps, ita maximis ſemper rebus diſtineris, ut ne ea quidem, quae tam praeclare ceperas, adhuc ſcripta perfici potuerint. Sed dabitur profecto id aliquando, quod & tu tantopere exoptas, otium: dabitur tempus id, quo totum te ad literarum ſtudia referre poſſis, quod tibi omne in optimis artibus ſumma cum tranquillitate animi tuo arbitratu conſumendum ſit. tum certe id in te videbimus, quod plerumque in agris fieri conſuevit, qui intermiſſo cultu majore quadam ubertate quaſi referre gratiam quietis ſolent. tum tu, quamquam *Latinae* linguae ſplendor ob oculos maxime tuos obverſabitur, hanc tamen noſtram ne contemnito. ſed & illi etiam cogitationum tuarum aliquid impertire. vetus illa tam multos in omni genere illuſtres ſcriptores habet, ut neque ullius jam ingenio fieri poſſit ornatior, & tu illis fortaſſe par, ſuperior quidem certe nullo modo eſſe poſſis. Haec ab nullo ita culta adhuc eſt, ut non facillimum tibi ipſi praeſertim ſit longo intervallo omnibus anteferri, ac principem tibi locum ſine ulla controverſia vendicare. & certe, quod a patribus nobis noſtris eſt tradita, quod ea loqui contigit, id a nobis illi quaſi deberi videtur, ut omnium maxime, quantum fieri a nobis poteſt, & uberem eſſe, & ornatam velimus. in hanc tu rem ſi animum intenderis, brevi tempore futurum video,

ut

ut ficut a *Latinis* quondam illi ipfi, quos fibi propofuërant, *Graeci* de poffeffione eloquentiae deturbati funt; fic nos neque verborum copia, neque ullo orationis ornatu a *Latinis* vincamur. hoc aut tu, aut nemo hac tempeftate facere alius poteft. quam ob rem ad eam tu quidem te gloriam praepara: a nobis haec quantacumque funt, quoniam majora non poffumus, ita accipito, ut maxima tamen exiftimes, quoniam maxima eorum funt, quae ab ingenio meo provenire poffunt.

EPISTOLA III.

IN M. T. CICERONIS ORATIONUM VOLUMEN III.

JACOBO SADOLETO

ANDREAS NAUGERIUS.

SAEPE ego mecum, SADOLETE, tum a natura editas, tum ab hominibus inventas res animo reputans, eumdem in omnibus certa quadam ratione fervari ordinem, ac progreffum animadverto. Primo quidem parvo quodam a principio ortum omnes trahunt: tum deinde augefcentes eo paulatim, per gradus quafi quofdam, perveniunt, quod in uniufcujufque natura perfectiffimum eft. tum vero, poftquam id adeptae fuerint, referri rurfum, ac fenefcere incipiunt: atque ita fenfim minui,

nui, ut postremo ad interitum etiam dilabantur. id & in natis e terra stirpibus, & in omni animantum genere intueri licet. quae, ut imbecilla primo in lucem exierunt, hinc vires in dies sumant, mox, quae acquisierint, paulatim dependant, ac conficiantur denique, necesse est. neque vero fieri potuit, ut non eamdem hanc conditionem omnes item artes, omnia opera, omnia inventa hominum sequerentur. Sed & haec quum ab ortu adoleverint, eadem postea vetustate tandem extabescunt. tulit hanc scilicet legem natura, quæ nulla umquam vi abrogari posset: sed una sine ulla exceptione inferiora haec omnia necessitate quadam immutabili contineret. Ac, ne multis ego exemplis conquirendis longius in re manifesta immorer, quam necesse est: vel ex ipsa id eloquentia, cujus caussa haec a nobis dicta sunt, cognosci potest. Haec (ut *Graecos* omittam, quibus tamen hoc idem evenisse reperietur) quum primum *Romae* exorta est, per parva quaedam incrementa longo tempore paulatim se ad summum evexit. quum rudis antea, & prope infans esset, primus *Cato* ei multum addidit: longius *Galba*, *Porcinna*, *Carbo*, *Gracchi* provexerunt. *Graecorum* eam gloriae *Antonius*, *Crassus*, *Hortensius*, aequaverunt. ita summa demum illi manus ab *Cicerone* imposita est, ut nihil praeterea cujusquam neque ingenio, neque industria, neque ullo doctrinae genere addi posset. ab eo ruere, & ferri in pejus cepit. ac primo quidem, sublata e civitate pax, & ea, cum qua simul creverat, exstincta libertas est. Nam quum bellis cuncta civilibus diutius agitata essent; eorum denique is finis fuit, ut oppressa tandem post multas civium clades respublica in unius

po-

poteſtatem conceſſerit. tum vero, quum omnia ex unius nutu penderent: nulla majorum more judicia exercerentur: nullae in ſenatu ſententiae, aut eae certe non liberae, dicerentur: nullae ad populum conciones haberentur, ſed omne penitus ſublatum eloquentiae theatrum eſſet: aliis quibuſdam artibus, & iis pravis plerumque, ac flagitioſis, ſumma omnia homines conſequerentur: ſimul praeclariſſimae artis reſtingui in dies ſtudium, ſimul ea evaneſcere paulatim cepit. Poſt vero quum illa omnium populorum victrix, ac totius terrarum orbis imperio diu potita, eo tandem (ut humanarum rerum vices ſunt) redacta gens eſſet, ut nulli non nationi contemtui, ac praedae eſſet: ac novae quotidie, & eae ab omni humanitate alienae, gentes, vel ab extremis etiam orbis finibus *Italiam* devaſtarent: exſtincto *Latinae Linguae* uſu, deleto pene *Romano* nomine, factum eſt, ut e tot cladibus vix umbra quaedam ad nos eloquentiae pervenerit. Sed & haec etiam pene e manibus nuper elapſa, pene omnis funditus exſtincta eſt. quam enim poſt tot incommoda recreari jam aliquantum decuit, eam nova quaedam calamitas excepit. exorta opinio eſt, & ea per plurimorum jam animos pervaſerat: ut nemo ſatis eruditus, nemo ſatis ullo doctrinae genere excultus judicaretur, qui cognitis, & uſitatis verbis uteretur. hi demum praeclare locuti, hi omni laude, omni admiratione digni praeter caeteros putabantur, qui ita aliquid ſcripſerant, ut vix id percipi ab ullo poſſet. imperiti quidam, & nullo uſu, nullo ingenio homines, quum ea plerumque plurimi fieri vulgi judicio viderent, quae ab omnibus ignorarentur:

nec

nec sibi aliud ad commendationem hominum patefieri iter animadverterent: eo se posse per tenebras pervenire arbitrati sunt, quo pauci luce potuissent. quod quum primo illis in maxima *Latinae* linguae, atque omnium bonarum artium inscitia recte cessisset: tum non pauci eos secuti eo tandem rem adduxerant, ut brevi tempore veterem illam dicendi gloriam hac caligine obrui, atque aboleri penitus necesse esset. nullas hi non vetustatis latebras perscrutabantur. hinc verba vel ipsi etiam *Romulo*, & priscis illis *Latinis* jam tum obsoleta, & desita proferebant. quin, ut obscuriora ea essent, quae dicerent, *Graeca* etiam saepe pleraque, saepe *Barbara* congerebant. digni, qui eo naturae munere, quo tam male abutebantur, omnino carerent. Quum enim ob id nobis sermo datus sit, ut hoc ea, quae animo occultantur, depromi possint: quid fieri alienius potest, quam ita quemquam loqui, ut nihilo magis intelligatur, quam si omnino nihil loqueretur? nulla umquam res magis omnem evertere eloquentiam potuit. quippe & labefactatae jam, ac prope dirutae inciderat, &, sublata verborum elegantia, ipsum etiam illius solum, ac fundamenta eruebantur. Quid? quod insolentibus, & sordidis illis verbis hae sententiae suberant, ut recte hoc saltem fecisse videri queant, quod tam abjectas res tam sedulo tantis verborum tenebris occultarint. Sed bene id profecto cecidit, quod non melior huic, quam caeteris rebus, conditio data est. quum late serperet, ac non parvam jam *Italiae* partem occupasset, atque ubique jam se terrarum diffunderet: medio in cursu concidit. nonnulli his scilicet se viri do-

ctissimi, ut infestissimis *Latini* nominis hostibus, objecerunt. quorum ope factum est, ut foeda illa *barbarie* profligata, ab propinquo jam interitu eloquentia vindicata sit. Et initium quidem bene gerendae rei ab *Romanis* ortum est: una *Roma*, quasi tutissima arx quaedam fuit, a qua semper haec labes rejecta sit: quo nullo umquam conatu irruperit. hic, tamquam pro aris, ac focis, summa vi certatum est, ut, quum caetera a majoribus tradita, amissa essent, haec saltem parentum laus retineretur. represso igitur foedissimorum hostium impetu, facilior de illis victoria facta est. Ac, ne omnes a me hi, quorum egregia in hac re opera exstitit, commemorentur: tu certe praeter caeteros acerrime illos semper insectatus es, tu afflictam semper eloquentiam protexisti, tu tuis scriptis, quorum nemo non maxime elegantiam admiratur, quae illius, quae *Latinae* linguae vox esset, ostendisti. factum est igitur, ut nemo jam tota *Italia* sit, qui obscurum id, & incultum dicendi genus non magnopere contemnat: qui non unum sibi maxime *Ciceronem*, tum, ut quisque *Ciceroni* simillimus est, & saepissime perlegendos, & omni studio sequendos putet. Quin & *Transalpinae* etiam nationes jam se nobis conjunxerunt, nec minus ab his feliciter arma pro *Latino* nomine sumta sunt; ne omnes ex his recenseam, atque ipsi tantum a me duces nominentur: *Budaeus*, & *Longolius* propinqua e *Gallia*, e *Germania Erasmus*, ita rem gerunt, ita longius quotidie *Romanae* linguae fines proferunt: ea, extrema etiam e *Britannia*, tum a *Reginaldo Polo* & nobilissimo juvene, & qui generis sui nobilitatem hac maxime laude commendari posse existimarit: tum a plu-

plurimis item aliis eruditissimis viris, opera navatur: ut, si id desperandum sit, posse aliquando eloquentiam in antiquam illam, ex qua dejecta est, restitui dignitatem, id certe affirmari possit: eam linguam, quae quondam, tum quum maxime floruit, *Italiae* tantum finibus, aut paulo certe latioribus, continebatur, nunc brevi tempore in nullas non totius orbis partes perventuram. Neque tamen cessandum est: sed, si usquam latet, & ubique locorum perquirenda, & omni ratione ejicienda penitus haec pestis est. ego quidem, quantum in me virium est, id omne in hanc rem confero: &, quum majora non audeam, id saltem enitor, ut *Ciceronis* scripta, quae incuria quadam, ac vetustate deformata circumferuntur, ex antiquis exemplaribus *meo labore* suae dignitati reddantur, & emendatiora in lucem prodeant. atque alia quidem alias: nunc ejus *Orationes* damus. quarum quum duo jam *volumina*, *alterum* LEONI X. *alterum Petro Bembo* missum sit: *tertium* hoc, SADOLETE, sub tuo nomine in manus hominum perveniet. recte tu mihi *Bembo* adjungi visus es. ambo ejusdem *Pontificis A secretis* estis: ambo & literis, & omni morum elegantia praestantissimi: quin eo etiam inter vos amore devincti, ut exemplo esse possitis, nullum esse ad confirmandam amicitiam arctius vinculum, quam morum similitudinem, ac studiorum societatem. Sed & ego tanti te facio, ut egregias tuas virtutes neque admirari, neque de his, quoties aliqua offertur occasio, praedicare umquam desinam. id adeo quum mea ipse sponte libens facio, tum eo libentius etiam, quod nihil arbitror posse a me *Bembo* gratius accidere.

M 2 mul-

multae mihi cum illo, ac magnae necessitudinis caussae intercedunt. conjunxit *Patria* communis utriusque nostrum parens: mea quaedam praestantis ingenii admiratio, & non alienus illius a me animus conjunctiores fecit: auctam in dies benevolentiam assidua familiaritas confirmavit: plurimis illius in me meritis haec omnia cumulata sunt. Quam ob rem, ut nihil me aliud ad id impellat, qui possum non summa te benevolentia prosequi? cujus summa cum amicissimo mihi viro conjunctione nihil sit illustrius. quum vero animi ad id tui ea etiam accedant ornamenta, quae, vel ignotos etiam ut amemus, cogere consueverunt: quam tandem meam in te esse voluntatem decet? eam scilicet, quae & amicissimo, & omni laude praestantissimo viro debetur. accipe igitur parvum hoc mei in te amoris pignus: neque eum tamen ex hoc metiri velis; sed ex eo potius, quod profectus a LEONE P. M. cui literarum amantissimo omnia literarum monimenta deberi videntur: & *Petro Bembo*, cui ego omnia debeo: neminem habui, quem tibi praeferendum putarim.

L E C T O R I.

Quamquam in superioribus Epistolis describendis fidem editionis Juntinae *Anni M. D. XXXIV. utpote acriori judicio castigatae, constanter secuti simus; ne quid tamen ab hominibus* Naugerii *nostri studiosis merito desiderari posset,*

possent, visum est hic addere nonnulla, quae in editione Aldi Manutii *Anni M.D. XIX. aut abundant, aut desunt, aut leviter immutata leguntur.*

Epist.II. Pag. 79. lin. 9. *in communem omnium utilitatem afferat.* in aliquibus tantum exemplaribus editionis Aldinae deest *omnium.*

Pag. eadem. lin. 19. *quod ea incommoda.* in aliqu. exempl. Ald. edit. *atque ea incommoda.*

Pag. 80. lin. 7. *facere umquam poterit.* in aliqu. exempl. Ald. edit. *efficere umquam poterit.*

Pag. eadem. lin. 12. *quod in ipsa arte est.* in aliqu. exempl. Ald. edit. *quod ipsius artis est.*

Pag. eadem. lin. 32. *quisnam potius ad hujusmodi.* in omn. exempl. Ald. edit. *ad hujuscemodi.*

Pag. 82. lin. 2. *ut id etiam censeam.* in aliqu. exempl. Ald. edit. *ut id etiam contendam.*

Pag. 83. lin. 19. *non parum opis attulisse videri debeo.* in aliqu. exempl. Aldinae editionis, *non parum opis attulisse existimandus sum.*

Pag. eadem. lin. 22. *Reipub. profuisse existimandus sum.* in aliqu. exempl. Ald. edit. *Reipub. profuisse videri debeo.*

Pag. 84. lin. 7. *qui ita illa sequitur, ut assequatur.* in aliqu. exempl. Ald. edit. *ut pene assequatur.*

Pag. eadem. lin. 11. *quemcumque dignum judicaveris, quem tibi proponendum putes.* in aliqu. exempl. Ald. edit. *quemcumque dignum statueris, quem aemulari velis.*

Pag. ead. lin. 12. post *effinxeris,* in aliquibus exempl. edit. Aldinae haec leguntur: *atque, ut ea praeteream, si qua a te* Graeco *sermone scripta sunt: cujus tu maximam tibi facultatem summo studio, ac labore peperisti: ac de* Latinis *loquar;* quis soluta &c.

Pag. ead. lin. 19. *ut non omnem saltem operam lusisse existimentur.* in aliqu. exempl. Ald. edit. deest *saltem.*

Epist. III. Pag. 90. lin. 25. *ne omnes ex his recenseam: atque ipsi tantum a me duces nominentur,* & reliqua usque ad: *ut si id desperandum sit;* desunt in omnib. exempl. Ald. edit. horum autem loco ea ibi habentur: *ut reliquos ex his omittam, tuus ille, e tuis castris profectus, tuis praeceptis instructus, tuis monitis excitatus* Longolius, *ita rem gerit, ita longius quotidie* Romanae *linguae fines profert; & ea ab aliis item nonnullis opera navatur:* ut si id &c.

Pag. 91. lin. 6. Italiae *tantum finibus, aut paulo certe latioribus, continebatur.* in omnib. exempl. Ald. edit. deest, *aut paulo certe latioribus;* quod videtur addidisse *Naugerius, Longolii* epistola admonitus, quam inferius exhibemus.

EPI-

EPISTOLA IV.

FRANCISCI ASULANI

NOMINE SCRIPTA,

IN PUBLII TERENTII AFRI COMOEDIAS.

JOANNI GLORIERIO

CHRISTIANISSIMI GALLORUM REGIS SECRETARIO,

ET PRIMARIO INSUBRIAE QUAESTORI

FRANCISCUS ASULANUS S.

QUICUMQUE *Volcatius* ille *Sedigitus* fuit, qui judicium de *Latinis Comicis*, in his, qui circumferuntur, *jambis*, tam audacter tulit; ut, *nihil eum, qui contra sentiat, sentire*, dixerit: nae ille mihi omni ipse prorsus videtur sensu caruisse. *Caecilio palmam statuit*. facilius id fortasse, quam decuit. quamquam enim de eo, cujus nulla exstent scripta, judicari nihil possit: non parvi tamen *Ciceronis* judicium, qui nunc *malum eum esse Latinitatis auctorem*, nunc *male locutum* dicit, faciendum est. Sed ob ipsam tamen hanc caussam, quod omnia ejus scripta interciderunt, ne temere in eum, quem non legimus, pronunciasse quidquam videamur: quum praesertim & *Horatius* etiam *gravitate eum* dicat *vincere*: condonemus sane hoc *Ciceronis* judicium, & recte *Caecilio* delatam palmam existimemus. Quid, quod *Plan-*

tum

tum caeteros superare, ac *sexto* demum *loco consequi Terentium* asserit? ullo ne id pacto assentiri possumus? ego vero tantum abest, ut in hac sim sententia, ut longo intervallo post *Terentium Plautum* arbitrer collocandum. Neque vero, ut hoc sentiam, sermonis solum elegantia moveor, qua *Terentium* facillime omnes excellere, nemo est, qui neget. Volo in hoc parem illi *Plautum* esse: volo, quod hominis fortasse vitium sit, aetati adscribere. durior est *Plautus*: asperis quibusdam, atque obscuris verbis utitur. sic enim tum loquebantur. non poterat ille alio, quam aetatis suae, sermone uti. Longe *Terentius* cultior. nihil in eo non laeve, nihil non elegans. limatior tum scilicet *Latina* lingua facta est. non ejus haec propria existimanda laus, sed communis illius aetatis omnium. ut haec inquam ita esse concedam: quid? caetera, quae multo majoris artis sunt, possunt ne ulla ratione paria in utroque fieri? omnibus mihi *Plautus* in rebus (liceat libere proferre, quod sentio) videtur nimius. ita illo *Terentius* parcior, ut nihil ab eo tamen, quod desiderari possit, relinquatur. Hiant nonnumquam, neque satis cohaerent *Plauti Comoediae*. ita omnia *Terentii* inter se nexa: ita ex omnibus unum quoddam conficitur: ut nihil aptius illius *Fabulis*, nihil magis fieri ad unguem possit. atqui hoc id est, quod praecipue praestari & ab poëtis, & ab scriptoribus omnibus debeat: ac maximam, si aliud quidpiam, artem exigat. Jam decorum illud, quod in omnibus tantopere custodiendum rebus est: in *Fabulis* vero, ubi congrua unicuique personae effingenda sunt omnia, nisi servetur, nihil prorsus fiat: nemo *Terentio* attentius observavit. at hujus nonnum-

quam

quam *Plautus* obliviſcitur. Ac mihi quidem aliquando haec, quae diximus, conſideranti ob id *Plautus* minus in his fortaſſe poſuiſſe curae videri ſolet: quod unum illi ſtudium facetiarum fuit. nihil ille aliud propoſitum *Comico Poëtae* credidit, quam populo riſum movere. id dum unum captat, uni huic rei dum inſervit: ut id, quod voluit maxime, aſſecutus ſit, & urbaniſſimus ſit ſpectatoribus viſus: multa certe alia, & potiora omiſit. atque ipſi tamen etiam illi ſales, dum undique eos colligit, undique ex omni re aucupatur, hebetes plerumque, ac ſcurriles ſunt: nec quos, extra illum in theatro concitati vulgi plauſum, ſedatus probare lector poſſit. Qua in re ita ſibi *Terentius* moderatus eſt, ut in hoc quoque non minus, quam in caeteris, quae a nobis dicta ſunt, praeſtitiſſe omnibus videatur. Duo ſunt facetiarum genera: in re alterum, alterum in verbo eſt poſitum. multo id venuſtius, & gravius, quod re tractatur. acutum nonnumquam, & elegans, quod in verbo eſt: ſed frigidum tamen plerumque eſt: & facillime in ſcurrilitatem delabitur, ſi quis ſibi in eo non moderetur. Creber primo in genere, in ſecundo parcus *Terentius*. e contra *Plautus* in primo rarus, in ſecundo frequentiſſimus. hinc factum eſt, ut rudi fortaſſe populo, & ſpectatoribus, quippe qui ſcurra ſaepius, quam poëta, delectentur, ſalſior ſit *Plautus* viſus. peritis certe auribus, & ſapienti lectori nihil *Terentio* feſtivius videri debet. illius quae lepida dicta ſunt, placere ſemel poſſunt: hujus, quo magis inſpiciuntur, eo venuſtiora apparent. riſum ille perſaepe, ſed & ſaepe cachinnum movet: numquam cachinnum *Terentius*. atque, ut uno omnia verbo

bo complectar, in illo dicacitas, in hoc urbanitas conspicitur maxima. Atque hanc quidem ego de Poëtis his non tam libere fortasse dixissem sententiam, nisi maximos, quos sequerer, viros, *Horatium*, & *Afranium*, ejus auctores habuissem; quos multo ego pluris, quam *Sedigitum* hunc nescio quem, facio. acerrimo inter poëtas omnes judicio mihi fuisse *Horatius* videtur. nemo illo vetustiores poëtas diligentius excussit. at is de *Plauto:*

At nostri proavi Plautinos *& numeros, &*
Laudavere sales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte, mirati: si modo ego, & vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto:
Legitimumque sonum digitis callemus, & aure.

Et numeros, & sales Plautinos non probat *Horatius*. nos de salibus diximus: multa, quae de numeris dici possent, ne longiores essemus, ac nimis omnia inquirere videremur, praetermittere, ac condonare voluimus. Sed quid idem de *Terentio Horatius?*

Vincere Caecilius *gravitate*, Terentius *arte*.

Parem *Caecilio Terentium* facit, quum *gravitate* alterum, alterum *arte* dicit vincere. atqui ego ne gravitate quidem video quomodo ab ullo vinci potuerit *Terentius*. quaecumque in *Comico* esse aut potest, aut debet gravitas, in illo est. quod si gravior *Caecilius* fuit: ne ille fortasse *Comoediae* sit fines praetergressus. quamquam enim *tollat* plerumque *vocem Comoedia*, necesse est: ita tamen debet tollere, ut nullo illi pacto ad *Tragoediam* ascendendum sit. ob hoc ego *Afranio* libenter accedo, qui *neminem Terentio dici posse similem* affirmat: neque cujusquam verius fuisse judicium arbitror. Probatiores alii fuerint populo. unius

N ego

ego *Afranii*, qui ipſe egregie *Togatas* ſcripſit, de *Comico Poëta* judicium longe omnibus totius victricis terrarum omnium plebis *Romanae* plauſibus anteponendum cenſeo. At in illa eſt ſententia *Sedigitus*. gravis mihi auctor opponitur. Non *Terentio* is *Caecilium* ſolum, & *Plautum*, ſed *Atilium* etiam, ſi Diis placet (ut omittam alios) praeferendum exiſtimat. Quid agis, bone *Volcati*? eumne etiam, quem *Cicero & ferreum eſse ſcriptorem Licinio* aſſentitur, & ipſe *duriſſimum* vocat? Sed non eſt profecto, quod admirer, non ſatis tibi *elegantiſſimum* hunc *Poëtam* placuiſſe. ne id quidem admirarer, ſi poſt *Ennium*, quem poſtremum cenſes, collocaſſes. hoc te ego ſenſiſſe, ſed dicere auſum non eſſe arbitror. Unum id admiror: inventum eſſe quempiam, qui tua iſta carmina, tamquam oraculum quoddam, ſibi proferenda duxerit. Sed valeat *Sedigitus*. nos *Afranio* aſſentiri non pigeat, ac *Terentium* omnibus praeſtitiſſe *Comicis* credamus: neque *vim* illam *comicam*, *quam ei unam defuiſse dolet Caeſar* (ſi modo ſunt illa *Caeſaris* carmina) deſideremus. nihil illi defuit: omnia, quae *Comico Poëtae* praeſtanda ſunt, praeſtitit. ſi quid deſiderandum in illo eſt; deſiderandum id eſt, ut ea aliquando in manus noſtras veniant exemplaria, ex quibus emendatiſſimus emitti, ac confuſi illius reſtitui verſus poſſint. Nihil eſt enim difficilius, quam hos diſtinguere. ſimillimos ille eos proſae orationi eſſe voluit, ut nihil a ſermone differre viderentur. ob id proximis his rudibus, & bonarum literarum expertibus ſaeculis verſus crediti non ſunt; & ab exſcribentibus librariis confuſi. reſtituit horum multos *Aldus ſororius meus*, dum viveret: multos nos

eo

eo mortuo ex veteribus libris correximus. neque tamen, quod audaciores alii affirmare ausi sunt, restitutum omnino *Terentium* credimus. erit fortasse, quum id affirmari a nobis poterit: nunc satis nobis sit, ex nulla umquam illum officina, post hunc exscribendi libros modum inventum, castigatiorem prodiisse. Plures autem ob caussas tibi is, GLORIERI Clarissime, debetur liber: & promiserat jam eum tibi *Aldus*, & nihil est, quod tibi nostro etiam nomine & ego, & *Andreas pater* non debeamus. Tu *Aldum* semper singulari quadam benevolentia prosecutus es: tu eo defuncto omnem in nos amorem illum contulisti, neque umquam nova in nos quotidie beneficia congerere intermisisti; ex quo factum est, ut quo tibi pacto pares umquam referri a nobis possint gratiae, non videamus. neque tamen ob id hunc tibi a me librum dicatum quisquam existimet, quod plurimis, ac maximis tuis in me meritis levi hoc munere satisfactum velim. tantum abest, ut id cogitem; ut ob hoc tibi etiam magis debiturus sim. Ob hanc enim praecipue caussam sub tuo nomine *Terentium* edimus; ut & is, & reliqua omnia, quae aut emissa a nobis sunt, aut emittentur, patrocinio tuo defendantur, ac non parva ex tuo nomine auctoritas libris nostris accedat. Quod autem tibi ego, cui me plurimum debere confiteor, plura etiam debere non verear: singularis quaedam, quae in te uno cernitur, in caussa est beneficentia. tum tu tibi cumulatissime relatum beneficium putas, quum novo cumulas: neque alium ex ipsa beneficentia fructum, quam beneficentiam ipsam, petis. Ac ostendunt se quidem reliquae in te virtutes omnes, ob quas, tam-

quam aliquod e *Gallia* miſſum numen, *Inſubria* te tota ſuſpicit; ſed neſcio quo pacto tamen longe magis haec omnium in ſe oculos trahit, longe haec magis omnium ſermonibus celebratur. quippe & multo hanc ſibi omnes magis, quam caeteras, prodeſſe ſentiunt; neque alia virtus eſt, quae ſimiliores nos Deis efficiat. atque hac tu quidem ita quotidie tibi multos devincis, ut difficile ſit, qui te noverit, & non tuo tibi aliquo beneficio obſtrictus ſit, reperire. Ego certe praeter caeteros tibi tantum debeo, ut tibi quidem ipſi ſatisfacere una tantum ratione, nova beneficia accipiendo, atque illuſtriorem beneficentiam tuam faciendo, poſſim. caeteris quo me pacto non ingratum eſſe oſtendam, non inveniam. Vale.

DO-

DOCTORUM ALIQUOT VIRORUM EPISTOLAE
AD
ANDREAM NAUGERIUM.

ALDI PII MANUTII ROMANI TYPOGRAPHI CLARISSIMI EPISTOLA IN EDITIONEM POEMATUM PINDARI.

ALDUS MANUTIUS ROMANUS
ANDREAE NAUGERIO
PATRICIO VENETO
S. P. D.

SUNT jam quatuor anni, NAUGERI cariſſime, quum ſtatui duram hanc provinciam noſtram intermittere, quod viderem, totam fere *Italiam* ardere crudeliſſimo bello; tum quia cogebar abeſſe *Venetiis*, ut agros, & pretioſa praedia noſtra, quae amiſimus, non noſtra quidem culpa, ſed horum infelicium temporum, recuperaremus. Vivi enim & nos pervenimus, quibus dicatur durum illud: *Haec mea ſunt, veteres migrate coloni.* Verum, quum nihil proficeremus, atque integraſcere mala, & incendia belli

vi-

viderentur, quae propediem exſtinctum iri ſperabamus, revertimus *Venetias*: quas *Athenas* alteras hoc tempore poſſumus dicere, quum propter alios plurimos ſingulari doctrina praeditos viros, tum propter *Muſurum* noſtrum: cujus hortatu, & tuo, & *Jucundi* noſtri jucundiſſimi, & caeterorum, qui bonis literis magnopere delectantur, mutavi ſententiam, atque ad labores redii eos, quos quam duriſſimos, jam viginti annos, expertus, vixque aequos noveram viribus noſtris. Sed, quoniam jam pridem mihi imperavi, nulla umquam evitare incommoda, nullas impenſas, nullos labores, dum proſim hominibus; ſummiſi caput *cervice parata ferre jugum*. Quamobrem optimos quoſque libros tam *Graecos*, quam *Latinos*, id quod ſaepe alias memini polliceri, emittere eſt animus excuſos cura noſtra in manus ſtudioſorum. Sum praeterea aggreſſurus & *Hebraicos* propter *Libros Sacros* noſtros, qui ex *Hebraicis Graeci*, & e *Graecis Latini* facti ſunt, ut cum illis conferri poſſint: &, ſi qui ſunt, errores (ajunt enim eſſe quamplurimos) tollantur; idque ad utilitatem, & gloriam *Chriſtianae Religionis*. Faveat igitur Deus Opt. Max. *δοτὴρ ἑάων*. En exit tibi primus in publicum ex aedibus noſtris, mi Naugeri, tuus *Pindarus*, tamquam dux, habens ſecum comites *Callimachum*, *Dionyſium de ſitu orbis*, *Lycophronem*; & exit quidem ſub tuo nomine, quum pro mea erga te incredibili benevolentia, quod ſis apprime doctus, &, quod paucis admodum datum eſt, acutiſſimo homo ingenio, acerrimoque judicio. Sunt enim multi ingenioſi quidem, ſed vel parvo, vel nullo judicio. Contra nonnulli acri quidem judicio, ſed minimo ingenio.

tu

tu aeque & ingenio, & judicio vales plurimum. Testimonio sunt tua scripta absolutissima vel carmine, vel prosa oratione. nam & hac, & illo certas cum Antiquitate; quemadmodum & *Petrus Bembus* noster, decus eruditorum aetatis nostrae, & *magnae spes altera Romae*. Sed haec parcius, ne videar assentari; id quod a me maxime est alienum. Deus est mihi testis, nec dicere me quidquam, nec scribere umquam, nisi quod sentio, quodque verum mihi esse videtur:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.
Αὐτὰρ ἐγὼν ἐρέω, ὥς μοι δοκεῖ εἶναι ἀληθῆ.

Tum etiam volui, ut sub tuo nomine exiret *Pindarus* ex *Academia* nostra, quia sic delectaris hoc Poëta, ut saepe eum tua manu accurate descripseris; puto, ut tibi magis fieret familiaris, tum ut edisceretur a te facilius, & teneretur memoria tenacius. Id quod describendo *Thucydidem* fecit *Demosthenes*, qui, ut *Lucianus* ait πρὸς ἀπαίδευτον, octies illum descripsit; idque ad suam ipsius utilitatem. Nam haud facile dixerim, quantum suam adjuvet memoriam, qui vel notet in margine singula quaeque scitu, & memoratu digna, quae legerit, vel describat sua manu integros libros, quos sibi velit fieri familiares, *Graecos* praesertim, quum propter alia multa, tum propter accentus, & Orthographiam; quae si quis aut ignorat, aut negligit, non habetur doctus. Quare, meo quidem judicio, non hortandi solum sunt juvenes, ut sua manu sibi describant, quibus studeant, libros, sed etiam compellendi, etsi omnes non queant, at optimum quemque, & candidissimum. *Commentaria* autem in *Pindarum*, & caeteros, quos ei adjunxi comites,

nec

nec non in *Hesiodum*, *Sophoclem*, *Euripidem*, *Aeschylum*, *Theocritum*, *Oppianum*, brevi daturi sumus uno volumine. Quibus est animus facere indicem eorum omnium, quae scitu digna in iis ipsis habentur *Commentariis*. Quam quidem rem in omnibus libris, qui ex aedibus nostris exibunt in manus hominum, facturi sumus, si saxum, quod tot annos volvo, alter *Sisyphus*, in montis cacumen perduxero. Nunc vero premuntur torcularibus horum Oratorum *Orationes*, videlicet, *Aeschinis*, *Lysiae*, *Dinarchi*, *Andocidae*, *Isaei*, *Antiphontis*, *Gorgiae*, *Demadis*, *Alcidamantis*, *Lesbonactis*, *Antisthenis*. Post hos dabuntur, Deo volente, *Platonis* opera. Tum *Xenophontis*, & deinceps caeterorum illustrium. Tu, mi NAUGERI, interea tuum *Pindarum* lege, & nos, ut amas, ama. Vale.

ALDI PII MANUTII
AD
ANDREAM NAUGERIUM
PATRICIUM VENETUM, COMPATREM
IN LIBROS CICERONIS DE ARTE RHETORICA
EPISTOLA, seu PRAEFATIO.

OMNES, ANDREA NAUGERI, qui se vel componendis novis operibus, vel instaurandis, corrigendisve antiquis tradunt, ut non solum sibi, sed & aliis prosint; quoniam, ut praeclare scriptum est a *Platone*

tone

tone, non nobis ſolum nati ſumus, ſed ortus noſtri partem patria, partem parentes vendicant, partem amici; otium ſibi ſumant, & quietem, ac a coetu hominum, frequentiaque in ſolitudinem, tamquam in portum, ſe recipiant. Sacra enim ſtudia literarum, & *Muſae* ipſae ſemper quidem otium amant, & ſolitudinem; ſed tunc praecipue, quum, quae ſcripturus es, victura cupias, *Atque linenda cedro, & laevi ſervanda cupreſſo*. Quam quidem rem tu, mi NAUGERI, perſaepe, & feliciter facis. relicta enim urbe, & frequentia hominum, rus te confers, & in loca quietis, & tranquillitatis pleniſſima: ut ſuperioribus annis, in laureta, & oliveta *Benaci, Quum dirae ferro, & compagibus arctis, clauſae eſsent belli portae*. ubi & tu vacuus curis; & moleſtiis iis, quaecumque impediunt praeclara ſtudia literarum,

Tale facis carmen docta teſtudine, quale
Cynthius *impoſitis temperat articulis*.

At mihi duo ſunt, praeter ſexcenta alia, quibus ſtudia noſtra aſſidua interpellatione impediuntur: crebrae ſcilicet literae virorum doctorum, quae undique ad me mittuntur; quibus ſi reſpondendum ſit, dies totos, ac noctes conſumam ſcribendis epiſtolis: Et ii, qui ad nos veniunt partim ſalutandi gratia, partim perſcrutaturi, ſi quid novi agatur; partim (quae longe major eſt turba) negotii inopia. tunc enim, *eamus*, ajunt, *ad Aldum*. veniunt igitur frequentes, & ſedent oſcitabundi,

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris, hirudo.

Mitto, qui veniunt recitaturi alii carmen, alii proſa oratione aliquid, quod etiam excuſum typis noſtris publicari cupiant; idque rude, & incaſtigatum

O ple-

plerumque: quod & eos offendat limae labor, & mora, nec advertunt, reprehendendum esse carmen, quod non

Multa dies, & multa litura coërcuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.

A quibus me cepi tandem permolestis interpellatoribus vindicare. nam iis, qui ad me scribunt, vel nihil respondeo, quum, quod scribitur, non magni intersit; vel, si intersit, *Laconice*. Quam quidem rem, quoniam nulla id a me fit superbia, nullo contemtu; sed, ut quidquid est otii, consumam edendis bonis libris; rogo, ne quis gravius ferat, neve aliorsum, atque ego facio, accipiat. Eos autem, qui vel salutandi, vel quacumque alia caussa ad nos veniunt; ne posthac molesti esse pergant, neve importuni interpellent labores, & lucubrationes nostras, curavimus admonendos Epigrammate, quod, quasi aliquod edictum, videre licet supra januam cubiculi nostri, his verbis:

QVISQVIS ES: ROGAT TE ALDVS ETIAM: ATQVE ETIAM: VT SI QVID EST, QVOD A SE VELIS: PERPAVCIS AGAS: DEINDE ACTVTVM ABEAS: NISI TAMQVAM HERCVLES, DEFESSO ATLANTE: VENERIS SVPPOSITVRVS HVMEROS. SEMPER ENIM ERIT: QVOD ET TV AGAS: ET QVOTQVOT HVC ATTVLERINT PEDES.

Id ipsum & hic propterea inseruimus, ut magis, magisque innotescat.

Sunt tamen multi & *Graece*, & *Latine* docti, qui, frequentando aedes nostras, *Herculem*, mihi suppetias veniendo, sedulo agunt. ex quibus tu, NAUGERI excellentissime, hisce *Marci Tullii* de praeceptis oratoriis, deque dicendi copia, & studio eloquentiae, *libris*, accuratissime cum antiquis exemplaribus conferen-

ferendo, recognoscendis, vel *Atlas*, requiescente me, factus es. Idemque nunc in illius *Orationibus*, & in divinis de *Philosophia Libris* assidue, atque adeo feliciter facis, ut brevi & correctissimi, ab iisque, qui passim habentur, longe alii exire possint in manus studiosorum. Taceo, quam diligenter, quam ingeniose, quam docte, quum alios prosa oratione ex bonis codicibus indefessus emendaveris libros, & penes te habeas: tum praecipue optimos quosque poëtarum; quos mihi, quae tua est humanitas, qui tuus amor erga bonas literas, daturum te, quum publicare eos excusos typis nostris voluero, benignissime polliceris. immo saepe etiam instas, sic inquiens: *Alde, quid facis? cur non petis a me Vergilium, Horatium, Tibullum, Ovidium, & alios quosdam? vix credas, quam sint penes me emendati ex antiquis codicibus.* Quamobrem sic me tibi devinxisti, ut te non secus amem, quam me ipsum: tibique aeque, ac mihi, longissimam vitam exoptem. nam quum adeo juvenis, tantus & prosa, & carmine evaseris, ut te vel antiquis, qui utroque in genere summa cum laude elaborarunt, fere aequaveris: non dubito, quin futurus sis maximum decus, & gloria nostrorum temporum; & una cum *Bembo* nostro *magnae spes altera Romae*. Etsi non me fugit, haec te, qui tuus est pudor, non libenter audire; tamen, quia scio me vera dicere, & te abs te cognosci quam optime: atque illud γνῶθι σεαυτὸν non ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam, ut bona nostra norimus: sic tibi de te loqui volui multorum exemplo, & doctorum virorum. &, ut taceam caeteros & *Graecos*, & *Latinos*, qui hoc ipsum factitarunt; *Plinius Junior* in

in *Panegyrico* illo ingeniosissimo, ac divino, quem, initurus consulatum, *Trajano* Imperatori dixit frequenti senatu; summas illius laudes coram ipso dicere, dignissimum, accommodatissimumque esse existimavit: quod & verissimas esse illas certo sciret, & Principem suarum virtutum maxime conscium. Fuit enim *Trajanus* non solum Imperator, sed & homo omnium optimus. unde & nunc inter creandum *Imperatorem*, hoc illi primum imprecantur: SIS FELICIOR AUGUSTO, ET MELIOR TRAJANO. Adde, quod id est hujusmodi nostrarum vel epistolarum, vel praefationum genus, ut sic licere nobis vel ea ratione videatur: quod etsi uni privatim videmur scribere, publice tamen, iisque omnibus scribimus, qui nostra haec amice legerint. Ob eam quoque caussam licere nobis arbitramur, ut ei, ad quem scribimus, nonnihil, quasi argumentum, dicamus de iis libris, in quibus hujusmodi vel epistolas, vel praefationes praeponimus. non ut ipsum doceamus: (arrogantis esset id quidem) sed, ut & tueatur nostra, & sit eorumdem judex: &, qui nesciunt (semper enim prodesse volumus) id discant e nobis. Quamobrem idem & hic faciendum censuimus. Et te, NAUGERI doctissime, judicem elegimus, quum propter alia, tum etiam, quod omnia, quae his *Libris* de ratione dicendi tractantur, sic teneas, ut *digitos*, *unguesque tuos*. Debemus enim, quae publicanda elucubramus, iis recitare, vel scribere, qui possint, si bona sunt, laudare: sin mala, reprehendere. ut olim *Quintilio* poëmata recitabantur, qui, quum aliquid non probaret, *corrige sodes hoc*, ajebat, *et hoc*.

Laudandus igitur *Peripateticus* ille *Phormio*, prudenterque

terque fecisse existimandus est; quod coram *Hannibale* de officio Imperatoris, & de omni re militari disputaverit: non, ut illum doceret (numquam enim tantum insaniisset *Phormio*) sed, ut *Poenus* vel delectaretur ea audiens, quorum esset peritissimus: praesertim, si copiose, ornate, docte a philosopho dicerentur; vel, ut judicaret potius, an perite ea de re disputatum esset: Rustice contra, & inhumaniter fecisse *Hannibal*: (semper enim fuisse dicitur insuavis, & difficilis) qui, quum *Phormionem* audisset: & caeteri, qui interfuerant, vehementer delectati, quaesivissent, quidnam ipse de illo philosopho judicaret: responderit: *multos se deliros senes saepe vidisse, sed, qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem.* Quod contumeliosum responsum tantopere probari a *M. Tullio*, miror: atque eo magis, quod non propterea delirare *Phormionem* visum esse ait, quia inepte, aut indocte, de re militari praecepta narraverit: sed tantum, quia *Hannibali*; *cujus nomen erat magna apud omnes gloria: quique tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certaverat.* Quum potius delirus vere fuisset *Phormio*, si apud rusticos, & id genus alios, qui non intelligerent, de re militari disputavisset. quemadmodum si surdis quispiam suaviter canat, aut narret fabulam; vel si coram caecis in numerum quis quam optime ludat, aut manuum celeritate praestigiatoriam agat.

Tu autem, mi NAUGERI, haec tibi dici a nobis facile patieris; quod simul & doctissimus sis, & humanissimus. tum etiam quia, quum tibi sic dicuntur, omnibus dicuntur, in quorum manus haec nostra pervenerint. quamobrem leges tu quidem, quae breviter

viter

viter de his libris, quasi argumenta, scribuntur: & leges non, ut *Phormionem Hannibal*, contumeliose (barrum id quidem) sed benigne, ut soles, me, quum ea legeris, dimissurus. Ea vero sunt haec.

In primo, & secundo libro *Rhetoricorum ad C. Herennium*, & nonnihil in tertio, de inventione, prima, ac maxima parte Rhetorices tractatur. Primus exordium, narrationem, divisionem, & pauca quaedam de confirmatione, & confutatione continet. Secundus reliquas inventionis partes: &, quemadmodum ad omnem judicialem caussam inventionem rerum accommodari oporteret, ostendit.

Tertius inveniendarum rerum, quae pertinent ad caussas deliberativas, & demonstrativas, rationem absolvit. hinc quomodo, quae invenimus, disponamus, atque in ordinem redigamus: &, quibus rebus ad dicendum pronunciatio, quibus item, inventorum thesaurus, atque omnium partium Rhetorices custos, memoria comparanda sit, docet. Quartus, reddita ratione, quare praeter *Graecorum* consuetudinem suis auctor utatur exemplis; praecepta elocutionis, quae est ultima pars ex iis quinque, quas in oratore esse oportet, non indiligenter tradit.

Primus autem liber *Inchoati* tantum *Operis*, exposito genere artis Rhetoricae, & officio, & fine, & materia, & partibus, continet genera controversiarum, & inventiones, & constitutiones: deinde partes orationis, & in eas omnes omnia praecepta. Et, quoniam in eo caeteris de rebus distinctius dictum est, disperse autem de confirmatione, & reprehensione; certi in secundo libro confirmandi, & reprehendendi in singula caussarum genera loci traduntur.

Et,

Et, quia, quo pacto tractari conveniret argumentationes, in primo libro accurate expositum est: in secundo tantum inventa unamquamque in rem exponuntur simpliciter sine ulla exornatione: ut ex secundo inventa ipsa, ex primo expolitio inventorum petatur. Postremo, quoniam omne in caussae genus argumentandi ratio tradita est, deque inventione satis dictum videtur: reliquas partes orationis, quae oratori necessariae sunt, se deinceps dicturum *Cicero* pollicetur. sed postea, mutato consilio, sic inchoatum opus reliquit: puto, quia rude videbatur: sibique puero, aut adolescentulo, ut ipse in primo libro de *Oratore* testatur, exciderit. atque ob eam caussam rogatus a fratre, tres *Libros* de omni ratione dicendi adeo doctos, ingeniosos, elegantes, copiosos composuit, ut qui in aliis libris semper omnes, in his seipsum *Cicero* superaverit. ipse etiam illos tanti faciebat, ut in epistola quadam ad *Leptam* haec scripserit: *Oratorem meum tantopere abs te probari, vehementer gaudeo. Mihi quidem sic persuadeo: me, quidquid habuerim judicii de dicendo, in illum librum contulisse; qui si est talis, qualem tibi videri scribis, ego quoque aliquid sum: sin autem aliud: non recuso, quin, quantum de illo libro, tantumdem de judicii mei fama detrahatur*. Hi igitur *tres libri de Oratore* ea, quae tribus diebus viri omnium eloquentissimi, clarissimique de omni ratione dicendi vel differuerant, vel docuerant; complectuntur. quorum librorum argumenta, tum aliorum, qui hoc ipso volumine continentur, breviter narranda hoc ordine visa sunt.

In primo libro, *Ludorum Romanorum* diebus, quum *L. Crassus*, colligendi sui caussa, se in *Tusculanum* suum

cum

cum adolescentibus *C. Cotta*, *et P. Sulpitio* contulisset: venissetque eodem *Q. Mutius Scaevola Augur*, *Crassi* socer: *et M. Antonius*, homo & consiliorum in Republica socius, & summa cum *Crasso* familiaritate conjunctus: Primo die de temporibus illis, deque universa Republica, quam ob caussam venerant, multum inter se usque ad extremum tempus diei collocuti dicuntur. sed ea alibi sunt a *M. Tullio* mandata literis. Postero autem die, quum illi majores natu satis quievissent, atque in ambulationem ventum esset: & *Scaevola* duobus spatiis, tribusve factis (quod infirmis esset pedibus) dixisset, ut imitantes *Socratem* illum, qui est in *Phaedro Platonis*, sub platano & ipsi quiescerent: allatis pulvinis, omnes in iis sedibus, quae erant sub platano, dicuntur consedisse. Ibi, ut ex pristino sermone relaxarentur animi omnium, quum *Crassus* sermonem quemdam de studio dicendi intulisset: & quaedam abs *Scaevola* contra ea, quae dixerat *Crassus*, comiter dicta fuissent: ab *Antonio*, *et Crasso* de Rhetorices materia, & de iis, quae oratori necessaria sunt, in toto primo libro ornate, copioseque disseritur. cui satis longae disputationi adfuit quidem senex *Scaevola*; sed quoniam in *Tusculanum* suum ire constituerat, sermoni, qui de Arte dicendi instituebatur, non interfuit. cur autem illius persona ab reliquis libris dimota sit, docet ipse *Cicero* in quarto libro *Epistolarum ad Atticum*, his verbis: *Quod in his oratoriis libris, quos laudas, personam desideras* Scaevolae, *non eam temere dimovi. sed feci idem, quod in* πολιτείᾳ *Deus ille noster* Plato. *Quum in* Peiraeum Socrates *venisset ad* Cephalum *locupletem, et festivum senem: quoad primus ser-*

mo

mo ille haberetur, adest in disputando senex: deinde, quum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere: neque postea revertitur. Credo Platonem *vix putasse satis consonum fore, si hominem id aetatis in tam longo sermone diutius detinuisset. Multo ego satius hoc mihi cavendum putavi in* Scaevola, *qui & aetate, & valetudine erat ea, qua esse meministi; & iis honoribus, ut vix satis decorum videretur, eum plures dies esse in* Crassi Tusculano. *Et erat primi libri sermo non alienus ab* Scaevolae *studiis. reliqui libri* τεχνολογίαν *habent, ut scis. huic joculatoriae disputationi senem illum, ut noras, interesse sane nolui.* Die tertio, quum jam in *Tusculanum Laelii* soceri sui abiisset *Scaevola*, & *Q. Catulus* senex, & *C. Julius Caesar* fratres e *Tusculanis* suis in *Crassi Tusculanum* ad audiendum *Antonium* venissent: cujus esse partes, ut eo die de Arte dicendi loqueretur, ab *Scaevola Julius*, quum ad fratrem veniret, audiverat: in secundo quidem libro ante meridiem ab *Antonio* de Inventione, Dispositione, Memoria, tribus de quinque quasi membris eloquentiae; interpellantibus interdum aliis vel interrogando, vel approbando, vel etiam addendo, vel utcumque aliter videretur; doctissime agitur. Et, quoniam suavis est, & vehementer saepe utilis jocus, & facetiae: haec *Julio* pars, quod in eo genere aliis excelleret, consensu omnium datur. quamobrem ille coram consummatissimis, ac divinis oratoribus *Antonio*, & *Crasso*, tamquam in scena gestum spectante *Roscio* acturus, verecunde quidem; sed, quum jam defessus esset disputando *Antonius*: quum perpauca adhuc restarent: peropportune se interposuit, munusque suum diligenter, jucundeque peragit. In

tertio autem, inclinato jam in pomeridianum tempus die, *Crassus* de Elocutione, & Actione reliquis Rhetoricae partibus, quae ei ab *Antonio* ex constituto relictae fuerant, disertissime, & copiosissime loquitur. In his libris non jejunas Rhetorum artes, sed locupletissimos *Aristotelis* libros secutus videtur *Cicero*: idque in *Crassi* maxime sermone. ut hinc quoque perspici possit, hoc ab eo vere in *Oratore* dictum esse: *se Oratorem, si modo sit, vel quicumque sit; non ex Rhetorum officinis, sed ex* Academiae *spatiis exstitisse*.

In libro de claris Oratoribus, qui *Brutus* dicitur; deplorata summo cum dolore morte *Hortensii*, quicum *Cicero* semper conjunctissime, & amantissime vixerat: sociusque & consors gloriosi laboris fuerat: enumerat, quicumque usque ad sua tempora *Latini Oratores* clari exstiterant: ante tamen *Graecis*, qui excelluerant, quasi in transcursu, breviter enumeratis.

In libro, qui *Orator* appellatur, quum a *Cicerone M. Brutus* per literas petivisset, ut, quod optimum esset genus dicendi, sibi ostenderet: id ille diligentissime, & copiosissime fecit. Et quamvis de Elocutione tantum ab *Bruto* requisitus videretur, nonnulla tamen de Inventione, Dispositione, Actione, ut plenius foret opus, adjecit.

In *Topicis* de communibus locis, unde argumenta ducuntur, breviter quidem inter navigandum, quum etiam libros *Cicero* non haberet; sed docte, & dilucide agitur. Exempla tamen, quod ad *Trebatium Jurisconsultum* scribatur, ex jure sumuntur.

In *Partitionibus* in omne caussarum genus praecepta colliguntur.

In

In libro, qui de *Optimo Oratorum genere* inscribitur; quum falsam *Cicero* eorum vellet opinionem ostendere, qui eos solos *Attice* dicere contendebant, qui tenui quodam, & sicco scribendi genere uterentur: *Aeschinis*, & *Demosthenis* inter se contrarias *Orationes* convertit: ut, quum hi *Attici* omnium consensu haberentur, neque tenui solum genere, sed amplissimo etiam, ac mediocri nonnumquam uterentur: manifestus illorum error deprehenderetur. Sed ipsae *Orationes* ad nos non pervenerunt. id, quod habetur, *Praefatio* est quaedam.

Sed, quoniam sunt, qui libros de arte Rhetorica ad *Herennium Ciceronis* esse contendant: non ab re facere mihi videor, si, quod ipse ea de re sentiam, hoc loco breviter disputavero.

Qui librorum ad *Herennium* auctorem esse *Ciceronem* volunt, duorum alterum fateantur necesse est: ut, aut ante, quam, quae inchoata, atque rudia puero, aût adolescentulo sibi excidisse ait: aut post, *Cicero* illos composuerit. ante, non puto dicturos; quia, si puer, aut adolescentulus illa imperfecta, hoc est duos illos libros de *Inventione* composuit: quando hos ad *Herennium* componere potuit? num puerulus? quis hoc credat? At a viro etiam maturae aetatis, ac patrefamilias, & philosopho compositi illi videntur. id, quod ex ipso auctore facile est cognoscere; quum & haec dicit: *Etsi negotiis familiaribus impediti, vix satis otium studio suppeditare possumus: & id ipsum, quod datur otii, libentius in philosophia consumere consuevimus*; & haec, quae habentur in fine quarti libri: *Nam & simul libenter exercemur propter amicitiam, cujus initium cognatio fecit; caetera philosophiae ratio confirma-*

 vit;

vit; & nobis non diffidimus, propterea, quod & aliquantulum processimus; & alia meliora sunt, quae multo intentius petimus in vita; &, etiamsi non pervenimus in dicendo, quo volumus, parva pars vitae perfectissimae desideretur. Impediri negotiis familiaribus, & vix propterea esse otium ad studendum; &, si quid superesset otii, in philosophia consumere consuevisse: tum parvam vitae perfectissimae partem desiderari: non puero, sed viro conveniunt, & patrifamilias. Adde, quod, quum consuevisse dicit, quod daretur otii, in philosophia consumere, praetermisso studio eloquentiae, diu videtur philosophiae dedisse operam. Praeterea in iis ipsis libris de *Inventione*, fecisset aliquam eorum, qui sunt ad *Herennium*, mentionem: cur scilicet de arte Rhetorica iterum scriberet: quemadmodum in libris *Oratoriis* eorum meminit, quae *Inchoata, atque rudia sibi puero, aut adolescentulo excidisse* refert. non ante igitur hos ad *Herennium*, quam illos de *Inventione* libros, composuit. Post autem si dixerint: parum diligenter videntur eam rem consideraste. quia, si ita sit, sequeretur, politiores, & magis cultos esse hos ad *Herennium*, quam illi ipsi, quos de *Inventione* composuit: quod & doctior, & plures natus annos eos elucubrasset. Sed longe est secus. Rudes quodammodo hi videbuntur, si iis, quos de *Inventione* composuit, comparentur. Et quamquam sunt docti, tamen longissimo distant intervallo a divina illa *M. Tullii* eloquentia. immo, si quis accuratius consideraverit, plurima in his ad *Herennium* libris dure, & jejune dicta deprehendet. Adde, quod in libris de *Oratore*, ubi *Inchoatorum* a se *Rhetoricorum* memi-

minit, & horum ad *Herennium* meminiſſet: atque eo magis, quod perfecta, & abſoluta ſint, omniaque artis Rhetoricae praecepta contineant, ut ipſe auctor oſtendit his verbis: *Et viam, quam ſequamur, habemus: propterea, quod in his libris nihil praeteritum eſt Rhetoricae praeceptionis.* Ergo ad *Herennium* libri, ſi nec ante, nec poſt, quam illi de *Inventione*, a *Cicerone* compoſiti ſunt; non ſunt *Ciceronis*. nam poſt divinos illos *Oratorios*, ad *Herennium* libros compoſitos dicere, amentia eſt. Illud praeterea non praeterierim: exiſtimandum eſſe *Hieronymum*, & *Priſcianum*, & alios, qui aut illa aetate, aut poſt exſtiterunt, hujus rei inveſtigandae minimum ſategiſſe; ſed alterum alterius indiligenter, ut ſolet accidere, errorem ſecutos. Quis autem illorum auctor fuerit, *Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.* Sunt tamen, qui auctorem fuiſſe dicant *M. Gallionem*; propterea, quod in libro quodam Rhetoricorum ad *Herennium* antiquiſſimo, qui dicitur eſſe *Romae* in Bibliotheca *Palatina*, ſic eſt titulus: M. GALLIONIS RHETORICORUM AD C. HERENNIUM LIBER PRIMUS. ubi *Gallionis* deletum eſſe ajunt, ita tamen, ut legi poſſit: & ſupra *Gallionis* ſcrîptum: T: cum binis utrimque punctis: inde *Ciceronis*. quod ſi ita eſt, puto eum, qui delevit, quod exiſtimarit perperam ſcriptum *Gallionis*, deceptum quum praenomine *MS.* quod idem in utroque eſt titulo: tum ſimilitudine quadam *Gallionis*, & *Ciceronis*, appoſuiſſe pro *Gallionis*, *T. Ciceronis*. Quam quidem rem quum aut ipſe videro, aut ab alio audivero, cui fidem habeam; tunc credam; curaboque *Gallioni* librum ſuum, quo tot ſaecula vel injuria temporum, vel ignorantia ſcriptorum privatus eſt, reſti-

tuen-

tuendum. cujuſcumque tamen fuerit liber, ei fatendum eſt, multum *Ciceronis* hos, quos diximus, de *Inventione* libros, ad ea, quae ſcripſerit, praecepta contuliſſe. *Gallionem* autem hunc eum crediderim, ad quem *Ovidius* in quarto libro *de Ponto* conſolatoriam ſcripſit epiſtolam ob mortem uxoris. Cujus epiſtolae hoc eſt initium:

Gallio, *crimen erit vix excuſabile nobis,*
Carmine te nomen non habuiſſe meo.

Doctum etiam illum fuiſſe his ejuſdem epiſtolae oſtenditur carminibus:

Sed neque ſolari prudentem ſtultior auſim:
Verbaque doctorum nota referre tibi.

Haec habui, mi Naugeri, quae ſuper his dicerem pro tempore. Habeo enim aſſidue plus negotii, quam fortaſſe alius quiſquam vel occupatiſſimus. Adſit Deus; qui me & his malis, & graviſſimis, quibus premor, moleſtiis, eripiat, ac velit, ut, dum amiſſis agris, & ipſe haec queror:

——— *En quo diſcordia cives*
Perduxit miſeros, en queis conſevimus agros.

Aut haec:

—— *Vivi pervenimus, advena noſtri,*
(Quod numquam veriti ſumus) ut poſſeſſor agelli
Diceret: haec mea ſunt: veteres migrate coloni.

Tu quoque divinus poëta (*es* enim *alter ab illo*) conſolans compatrem tuum, mihi aut haec canas:

Fortunate ſenex, etiam tua rura manebunt:
Et longo quoque ſervitio te exire licebit,
Et cito praeſentes alibi cognoſcere Divos.

Aut tale aliquid. quod quum fuero adeptus, ſaxo, quod tot annos indefeſſus volvo, in montis apicem tan-

tandem perducto, & collocato, *recubans sub tegmine fagi*, & ipse queam dicere:

Deus nobis haec otia fecit.

Vale ingens decus *Musarum*.

In calce Rhetoricorum M. T. Ciceronis Editionis Aldinae Anni 1514. haec leguntur.

Illud hic subjungere libuit: considerandum diligentius, utrum in epistola ad *Leptam*, quum scripsit *Cicero:* Oratorem *meum tantopere a te probari, vehementer gaudeo*, &c. id dixerit de libris *Oratoriis* ad *Q. Fratrem*, an de eo libro, quem ad *Brutum* scripsit; qui quaesiverat, quodnam eloquentiae genus *Cicero* probaret maxime, & quale ei videretur illud, cui nihil addi posset: quod summum, & perfectissimum judicaret. cui libro *Oratori* inditum est nomen. idque, quoniam in praefatione nostra ad *Naugerium*, de tribus illis de *Oratore* libris dixisse *Ciceronem* scripsimus, quum potius de eo ipso libro ad *Brutum* illud dixisse videatur.

FRAN-

FRANCISCI ASULANI

EPISTOLA, seu PRAEFATIO

IN DECADEM PRIMAM HISTORIARUM T. LIVII.

ANDREAE NAUGERIO
PATRICIO VENETO

FRANCISCUS ASULANUS
S. D.

ETSI contentus es, mi NAUGERI, tua gloria, satisque ex ea magnam laetitiam, voluptatemque capere soles, quum tecum ipse reputas, quantum ornamenti Patriae attulisti: tamen dissimulare vix potes, cumulari te maximo gaudio, quod ea vulgo de te hominum opinio sit, ut non hoc saeculo tantum, verum & aliis quoque multo superioribus, Civitatem hanc neminem habuisse affirment, quem in una, aut altera virtutum earum, quas tu plures simul egregie complexus es, tecum possit comparare; proindeque fateantur, nihil esse, quod tibi jure, meritoque non debeant. Is enim hujus nobilissimae Reipublicae mos est; ea consuetudo jam inde a primis temporibus inolevit; ut nihil se majori cum laude facere posse arbitretur, quam si propositis praemiis ad omnem excellendi cupiditatem accendat ingenia: & eos, qui sese studuerint caeteris praestare, maximis auctos honoribus in ea dignitate constituat, ut & aliis exemplo esse facile possint, & perinde, quasi de quopiam sacro certamine coronati prodiissent, laudentur, atque colantur ab omnibus. id, quod

in

in te his proximis annis effecit. namque *Bibliothecam* illam *Bessarionis* omnium excellentissimam, quotquot umquam privata pecunia constructae sunt, tot annos sepultam, tibi uni tandem disponendam, custodiendamque tradidit. deinde quas domi, forisque res gessit, ob amplitudinem suam nulla non memoria dignas, ut in *Historiam* redigerentur, tibi potissimum decreto publice stipendio dedit: fore arbitrans, ut ea non minus propter splendorem eloquentiae tuae prope divinae, quam de sua ipsius ingenti auctoritate, in manus hominum frequens veniret: ut jam perspicuum sit, nihil te uno totis *Venetiis* nec esse, nec umquam fuisse praestantius: vel eo argumento, quod alias idem atque tu nemo sit consecutus. nostra igitur Respublica tibi contulit, quae maxima potuit. Suae autem cujusque civis sunt partes, ut in te amando, ac etiam ornando, idem se privatim gerat, atque qui publice: ne quod omnes simul aequitati, gratitudinique tribuerunt, unus ipse, ob aliquam simultatem, improbare videatur. Ego itaque quum *T. Livii X. ab Vrbe condita Libros*, quam castigatissime excusos, Enchiridii forma publicandos curarem: operae pretium facere mihi visus sum, si eos tibi, videlicet si partem nobilissimae *Historiae* rerum scriptori illustrissimo dicarem: tum ea similitudine, quod, ut ille praepotentis sua tempestate populi res gestas memoriae prodidit: ita & tu maximae, atque antiquissimae omnium, quae toto terrarum orbe sunt, Reipublicae facta conscribis: tum etiam tua humanitate, ac morum elegantia ductus, qua omnes, qui te utuntur familiariter, ita devincis, ut a tua consuetudine, qua nihil tota vita jucun-

dius senserint, nulla amplius fortuna divelli posse contendant. Vale, ac me tuum in primis agnosce.

CHRISTOPHORUS LONGOLIUS

ANDREAE NAUGERIO S.

ACCEPI literas tuas heri post meridiem, qui dies Idibus Januariis fuit. Ad eas rescripsissem, illa statim ipsa, quemadmodum postulabas, qua mihi sunt hora redditae, nisi scripta tua ejus esse generis judicassem, ut mihi non festinanter, & in transcursu, sed diligenter, & per otium accurate legenda essent: praesertim quum tu me eorum *Aristarchum* constitueres. qua quidem in re irrideri me abs te profecto putassem, nisi animum tuum plane perspectum habuissem: quem quum mihi studiorum nostrorum societate conjunctissimum, tum vero ab omni illiberali simulatione alienissimum esse certo scio. Faciam igitur, quod jubes: neque id vero ipsum tam libenter, quam necessario: etenim qui mihi conscius sum, nullo esse me prorsus ea in re vel ingenio, vel judicio. Verumtamen, ut me majorem voluntatis tuae, quam pudoris mei, rationem habuisse intelligas, pauca quaedam hic notabo, quae sane quum tu legeris, judicabis, eam esse lucubrationum tuarum rationem, ut monimenta tua calumniam potius a quovis pati, quam a me limari, perpolirique possint. Atque, ut supra crepidam aliquid statim audias, scito in ipso protinus principio desiderari a me *Sadoleti* praenomen: idque

quum

quum quod ea res dignitatis quiddam habere, tum etiam quod ipsa *Epistola* justae orationis instar mihi quidem esse videatur. Eadem adjectionis formula vellem abs te & *Bembi*, & meum etiam ubique nomen subornari. Nam, quod ais *Latinam* linguam, florentibus Imperii *Romani* opibus, intra *Italiae* limites constitisse: ego vero eam quum aliis gentibus communem fuisse arbitrabar, tum vero in *Gallia* maxime, *Hispania*, & *Tingitana* provincia viguisse existimabam. Adduxerat me autem in eam opinionem non leve argumentum, quod earum gentium quotidianus sermo haud ita multum ab *Italico* vel hodie dissideret. Sed non is ego sum, qui in hoc sententiam meam anteponi velim tuae. In eo quidem certe admoneri te patiere, ut quum aut totum quiddam, aut generatim omnia complecti voles, aut etiam mentis tuae sensus ajentibus verbis confirmare, duplicatis negationibus aliquanto parcius utare: cujus quidem generis sunt illa, *Nemo non*, *nullus non*, *nihil non*. quae ut orationi modice aspersa jucunditatis afferunt plurimum, sic crebrius repetita & frequentata satietatem pariunt, atque fastidium. Nam, quin totidem verbis ex *M. T. Cicerone* tibi tam multa impune sumere non liceat, ne tu quidem ipse, puto, negas. Sed non animadvertis scilicet; qui assidua summi illius oratoris librorum, & accurata lectione hoc consecutus es, ut etiam imprudenti tibi, & invito integrae ipsius non modo sententiae, sed multi simul interdum versus excidant, atque effluant. Quod ipsum mihi ut summae est admirationi, sic haud scio, an illis probaturus sis, qui *Aesopi graculum* nobis objicere non

desinunt, nec *Pub. Vergilii* auctoritatem, atque judicium hac in re accipiunt. Equidem, quod ad me attinet, ita statuo: Dirigendam quidem esse nobis, & formandam scribendi rationem putavi ad illius dicendi genus: sed ita, ut virtutes ejus oratione nostra exprimere conemur, non item, ut passim omnia ab eo mutuemur, aut (quod multos facere jam videas) quasi centones quosdam ex *Ciceronis* verbis consuamus. Sed hoc toto de genere alias. Nunc tantum habeto, dandam tibi esse in primis operam, ut, quae in manus hominum a te pervenient, plane tua esse, non aliena, & aliunde corrogata videantur. Quod quidem hoc tibi magis faciundum censeo, quod tu hodie unus ex omnibus commentationes tuas literis commendare potes optime, atque elegantissime. Habes fere, mi ANDREA, quae studio tuo obsecutus in eo libello animadversione digna existimavi: caetera sunt ejusmodi, ut mihi quidem magnopere probentur. Quae porro de meae erga *Jacobum Sadoletum* voluntatis significatione adscripsi, ita denique proferri ea velim, si id, ut libenter facias, animum induxeris: sin autem a te sententia quidem probabitur mea, locus autem ipse, aut eloquendi ratio non item placuerit, tu ea de re, quod tibi videbitur, constitues, & ita, spero, constitues, ut me tamen ille gratum, memoremque ex tuis literis sit cogniturus. Tantum haec ad te perscripseram, ecce ab eodem *Sadoleto* literae, quibus, ut te suis verbis salutarem, atque tibi etiam suo nomine gratias agerem, rogaret, quod sibi tam praeclarum (opinor in illa vel ad PONTIFICEM MAXIMUM, vel ad *P. Bembum Epistola*: id enim cujusmodi sit, non explicat) testi-

testimonium dedisses, quod me fecisse si per literas tuas ei significaris, erit id mihi tam gratum, quam quod maxime. Vale. Ex urbe *Patavio*.

IDEM ANDR. NAUGERIO S.

QUUM ad xv. Kalendas Julias hac potissimum de caussa *Venetias* venissem, ut ab *Rhamnusio* *Naturalem C. Plinii Historiam* auferrem, intellexi nihil ei abs te ea de re adhuc missum esse. ego vero iisdem, quibus ei *Clementem Britannum* literis commendasses, promissi tui rationem complexum esse arbitrabar, quod ipsum quando non accidit (festinanter enim, & eo tempore properante *Clemente* scripsisti, ut mihi mirum non sit, te de eo, quod mihi pollicitus esses, fugisse tum scribere) fac, si me amas, ut ex literis tuis liber is nobis primo quoque tempore curetur. Vix enim credas, quantam nobis illius inspiciendi cupiditatem excitaris: simul & hoc tempore nactus sum aliquid otii, quod libenter in ejus generis lectione sim omne positurus. Narravit mihi *Calceranus* noster, te totum esse in literis: quod equidem non sum miratus, qui scirem, te isto profectum, ut studiis tuis fruerere liberius. quod autem addidit, te etiam suavissima *Baptistae Turriani* doctissimi hominis consuetudine uti: istuc vero ipsum tibi & gratulor, & pene etiam subinvideo. Sed si quando in ista loca venero (quod quidem primo autumno futurum spero) faciam, ut tu item mihi fortasse gratulere. Interim hominem meis verbis velim salvere jubeas, atque ipse tu valetudinis tuae rationem in primis habeas. Apud *Bembum* est, ut volumus. Vale. *Patavii* IX. Kal. Julii.

BAR-

BARTHOLOMAEUS RICCIUS

ANDREAE NAUGERIO

S. D.

EODEM die, quo a te profectus sum, *Venetias* perveni. sane strenue, inquies. ego vero magis incommode, qui & lutulenta via, & equo, quem scis, sella vero ea sum usus, quae anum, atque totas interiores coxas mihi attrivit. Sub mediam vigiliam navim ad *Mergaram* conscendi. quem brevem in urbem trajectum remis, non sine magno totius corporis, pedum vero maximo frigore, vix tandem confeci. sero ad publicum hospitium (mei enim *Abiosi Ravennam* remigrarant) utraque de via lassus appuli. ubi ego pro loci ratione, & pro superioris diei labore, nocte illa satis commode quievi. postridie *Mussurum* adeo. qui, ut audivit a te nuncium esse cum literis, scalas ut ascenderem, jussit. Interea vero ille e cubiculo ad porticus januam mihi obviam venit. qui (ut fit) antequam literas aperiret, ut valeres, ac quid rerum? amantissime quaesivit. recte, inquam, omnia. Ut vero tuas literas legit, eo me vultu, iisque verbis, atque amplexibus accepit, quo ego facile cognoscerem, me a te illi ea de nota commendatum esse, qua commendari solent, qui vere amantur. dicere non possem, quam *Graecus* homo, ac tantus vir, mecum humane se gesserit. ut vero de te & honorificentissime, & amantissime loqueretur, non puto te exspectare, dum dicam. Sed omnia cumulavit, quum me recta ad eos misit, a quibus non discessi. ad quem heri fui,

ac

ac, quid actum esset, narravi, gratiasque egi quas potui maximas: is contra mihi gratulatur, atque in reliquum si quid accidat, in quo suo studio, atque opera mihi opus sit, id omne familiarissime pollicetur; tibique ut suo nomine salutem plurimam adscriberem, jussit. cui ego pro tanto erga me ejus animo respondi: non illum quidem apud ditem hominem, aut principem virum suum officium & jam posuisse, & esse positurum, sed apud eum animum, qui ejus in perpetuum recordaretur. itaque ab eo discedo. Sed redeo ad conditionem. Credo eam mihi satis commodam futuram. etsi nulla commodior, quam quo tempore tecum *Daviani* fui. Sed eo me consolor, quod tu quoque non semper es peregre permansurus; speroque prope diem fore, ut in Urbem revertaris, ubi tua jucundissima, mihique fructuosissima consuetudine frui possim. Interea in nostris studiis acquiescemus, in quibus consilium tuum sequar, ut in bonis auctoribus tantum verser. caeteris, qui delectum verborum nullum habent, caetero relinquens. *Christophoro*, atque *Angelo Cabriellis* fratribus, ac *Nicolao Stephanio* salutem. Vale. *Venetiis* Idibus Febr. M. D. XIII.

IDEM ANDREAE NAUGERIO S. D.

EQUIDEM, NAUGERI, *Venetiis* sum (ut ajunt) corpore, animo vero a te, atque ab isto nobilissimo comitatu abduci non possum. vobiscum enim omnes istos vicos, ut praesens faciebam, sic absens assidua cogitatione laetissime obeo: in venationibus vero totus sum, sive lepores in aperta planitie insectandi

ctandi, sive etiam per summa ista montium juga capreae sint dejiciendae. o caetera postea, quae in sermonibus, sive de jocis, sive de literis agebantur! nulla mihi umquam oblivio diem illum eripiet, quum ad amoenissimum collem illum deambularemus; ego vero *Maronem* manu tenens, nullum versum vel ad alterum verbum proferre possem, quin eum ipse excipiens totum librum memoriter absolveres: idemque in *Horatio*, *Catullo*, *Tibullo* faceres: sed hoc fortasse cum multis; id quidem cum perpaucis, nisi tui est solius, quod tu ex iis poëtis & ad interiorem sensum, quae sunt retrusa, atque abdita erudite eruis, & ad optime imitandum omnia excipis. ut in illo tuo: *Si proprium hoc fuerit, laevi de marmore tota*, & quae sequuntur. Cujus loci sensus aut ita est, ut tu explicas, aut nihil omnino. ita de *Fama*. ita in eo: *Tmolus & adsurgit quibus, & rex ipse Phaneus*. ita in caeteris. De imitatione vero, tua *Ecloga*, *Borgettus*, *Ceres*, & *Epigrammata* omnia, facile testantur: quare ego diem illum non video, quo te in Urbem recipias, quando ego dicere non possim, quo ego ad vos redeam. quem postea quotidie adeam, atque aliquid semper percontans, numquam domum inanis revertar. Vale, ac comitibus salutem. *Venetiis*.

IDEM ANDR. NAUGERIO S.D.

ETSI ex superiori morbo non satis confirmatus sum, qui me XL. dies graviter afflixit, quoniam tamen jam X. dies febris abiit, & brevissima via est ad *Stephani*; te in *Bartholomaei Liviani Imperatoris* funere orantem audire volo. *Oratio* quidem me, quantum, quod umquam legerim, delectavit: in qua ni-

nihil quum ad copiam, tum ad ornatum desideravi; actionem vero, quae extrinsecus accedit, quae una pars est de maximis non postrema, immo vero, cui primas, cui secundas, cui tertias *Demosthenes* tribuebat, videre cupio. hanc quum canora, ac clara voce, quamquam in omnes partes apte commutes, tum ab omni corporis motu spero te optime comprobaturum. quare te rogo, ut, qui dies isti funeri constitutus sit, mihi significes. Vale.

IDEM ANDREAE NAUGERIO S. D.

MItto tibi *Eclogam* tuam, quam mihi *Aviani* (ut scis) ex tua descripsi, ut quidquid in ea mutasti (ut tu heri mihi pollicitus es) id in ea pariter corrigeres. quum *Patavio* rediero, eam ipse repetam; non enim puto, te tam cito *Romam* discessurum, neque meam peregrinationem, quam tuam istam profectionem, fore diuturniorem. Si vero: eam *Domitio* dandam curabis. De *Cornelio Feltrensi* ita est: *Eclogam* illi recitavi, sed nullum exemplum neque illi, neque cuiquam descriptum est; non enim tam ineptus sum, qui aliorum scripta tam temere publicassem, praesertim quum scirem, eam nondum ei, cui inscripta est, esse missam. Vale.

VICTOR FAUSTUS
ANDREAE NAUGERIO
VENETAE REIPUBLICAE IN HISPANIA ORATORI S. D.

SI PER negotia, quae mihi publice injuncta sunt, clarissime NAUGERI, licuisset; fecissem equidem libenter, ut singulo quoque mense, quemadmodum

R &alias

& alias facere solitus sum, ad *Rhamnusium*, tibi literas daturus, accederem. Sed ea est temporum conditio, atque ea adhuc ingeniorum veluti nox, *Herculea* illa longe prolixior, quae jam inde usque ab *Romani* Imperii ruina tot simul egregias artes, *Graecorum* praecipue hominum studio expolitas, tenebris involvit, nostram etiam aetatem infuscat, ut nonnumquam ex hac mihi semper gratissima umbra in pulverem, & solem avocer, necesse sit: quoniam, nisi solers aliquis vir, laboriosus pariter, & bonarum artium studiosus, qui diu, multumque in literis versatus sit, multa generis humani ornamenta ex antiquorum monumentis eruta in lucem conetur asserere, periculum sit, ne nostrum hoc saeculum, cui jampridem alioqui ea illuxit Aurora, quae pene possit cum antiquitate contendere, bene magna sui parte nubilum diem, & vera luce carentem penitus habeat. Nam paulo ante nostram aetatem (ut probe nosti) quum rudia omnia esse putarentur, alii ad studia literarum, alii ad musicen, alii ad picturam, sculpturamque, alii ad alia, Principum liberalitate excitabantur. in praesentia vero, ubi nonnulla excellenter fieri ceperunt, jam exquisita omnia se habere vulgus hominum arbitratur. proinde, ut securitatem semper negligentia sequitur, in iis, quae ardua sunt, atque ex magnitudine difficultatem in se aliquam habent, nullis praesertim, aut certe perexiguis, propositis praemiis, multorum cessat industria. unde necessario evenit, ut multa, quae ut aliquo pacto fiant quotidie usus postulat, & praesertim quae machinamento aliquo, idest ingenio simul, atque acri judicio, egeant, ab imperitis hominibus, & duntaxat

taxat fabris, invita quamvis *Minerva*, tractentur: tantumque absit, ut sua in dies meliora facere studeant, ut numquam alias quidquam melius factum fuisse, aut posthac fieri posse contendant. nactique aliquem sui similem ex iis, qui opibus, aut potentia polleant (cujusmodi rudium hominum ingens ubique numerus reperiatur, necesse est, dum laborem discendi otio, ac voluptate permutant) antiquitatem omnem modo derident, modo historiae quantumlibet veteri fidem abrogando, nequam medius fidius homines, nihil non interim mentiri, aut negare ausi, suo arbitratu interpretantur. & quoniam sua quisque, naturae quodam vitio, facile admiratur, interdum etiam persuadent publicae existimationis inimicum esse illum, profanum, impium, qui antiqua praesentibus, hoc est, ut ipsi autumant, suis aliena praeponat. tantoque illum pejus odere, quanto id clarius non argumentis tantum docendo, verum etiam exitu aliquo rerum, ac experimento ipso verum esse ostenderit. quasi vero in artibus, perinde ac in hominibus propter affinitatem fieri convenit, non quae optima, sed quae maxime domestica sit, inter suas unicuique censenda esse videatur. quare, si hoc mihi semper jucundissimo officio ut caream aliquando necessitas cogit, te obsecro, NAUGERI, per fortunas, & quaecumque tibi carissima sunt, ne id nimium aegre feras. Quod vero ad te ipsum attinet; facile mihi persuadeo, te istic non esse invitum, qui Patriae tuae civis amantissimus publica negotia sustineas: te tamen rogo, ut, si quae tuis commodis, vel voluptatibus auferuntur, ea Patriae tuae utilitati, ac ornamento accedere, aequo animo patiaris.

Bene agitur cum *Rhamnusio* tuo: qui, depulsa illa satis diuturna adversae valetudinis molestia, praeclare & ipse sibi, & amicis restitutus, animo laetissimo rusticatur, summamque ex duorum pene quotidiana consuetudine voluptatem percipit, *Petri Bembi*, & *Andreae Riccii*, alterius omnium virtutum laude insignis, alterius fingendi arte ita clari, ut, quod ejus egregia monumenta declarant, cum omni antiquitate contendat. quid quaeris? quodammodo villa *Rhamnusia*, & *Nonianum*, & *Ligunti* insula, quum hi tales viri absunt, solitudo videtur: nunc ego quidem, ut meus est sensus, in iis locis, quandoquidem ibi nunc cum hujusmodi viris virtus habitat, miram statuo esse celebritatem. ac mihi magnam felicitatis partem viderer obtinere, si, quum assidue amicissimorum hominum suavitate, ac virtute frui non liceat, saltem tertio quoque die accurrere ad eos possem. sed scis, quae me implicent quotidie magis occupationes. te quoque, nisi fallor, pungit *Selvae* tuae, & *Muriani*, quibus nunc cares, jucunda simul, & molesta recordatio: ubi cum *Gaspare Contareno*, *Nicolao Theupolo*, *Augustino Pisaurio*, eorumque simillimis viris vivebas; vivebas, inquam, NAUGERI: ea enim vera vita est, quae cum virtute praeditis hominibus traducitur. sed haec, intermisso fructu, cariora tibi erunt, quum redieris: tuque sermones amicorum tuorum, nos tuam doctrinam, tuam suavitatem, multo, quam antea, jucundius, ex intervallo regustabimus. quod quum a Deo precamur: tum vero, quia Deo, qui divina studia in humana vita colunt, curae sunt, non optamus magis, quam speramus. Vale. *Venetiis*. Kal. Juniis. M. D. XXVII.

AN-

ANDREAE
NAUGERII
PATRICII VENETI
VARIAE LECTIONES
IN OMNIA OPERA
P. OVIDII NASONIS.

ANDREAS NAUGERIUS

LECTORI.

QUAM multa in his Ovidii libris ex antiquis exemplaribus correxerimus, neque neceſſarium nobis viſum eſt nunc referre: & cuicumque eos legere collibuerit, facillimum erit cognoſcere. Quoniam tamen & pauca quaedam (quamvis ſubtimide id, & parce admodum fecimus) nullo ſuffragante exemplari, uti nobis viſum eſt, immutavimus: & veteres quidam libri, poſt hos impreſſos, ad manus noſtras pervenerunt, in quibus multa, quae nos prius ſubterfugerant, invenimus: & illorum admonere lectorem voluimus, nequis forte id ſuſpicetur, abuti nos velle veterum librorum auctoritate, &, quae nos emendavimus, ex illis credi emendata: & haec addere, ne quid, quod in nobis eſſet, diligentiae praetermiſſum eſſe videatur; & utile, & neceſſarium prope exiſtimavimus. Quae ut cumulatius fierent, eas etiam lectiones, quae ita quandoque diverſae reperiuntur, ut omnes tamen probari poſſint, ſubjunximus: uti liberum omnibus judicium ſit, quam velint, ſequi. Siquid vero in tam longo opere aut praeteritum a nobis eſt, aut ingenium noſtrum ſubterfugit; doctiores id fortaſſe alii, modo animum intenderint, invenient. vos ob labores, quos pro communi utilitate, nulla gloria adducti, ſuſcepimus, debetis ignoſcere.

Ex

EX EPISTOLIS HEROIDUM
P. OVIDII NASONIS.

Ex Phyllide.

v. 45. *Ah laceras etiam puppes furiosa refeci*] rectius vetera exemplaria : *At laceras etiam puppes*.

Ex Briseide.

v. 19. *Si progressa forem, caperer ne nocte, timebam*] Fortasse rectius, quod nonnulli: *caperer ne forte, timebam*.

v. 30. *Auxerunt blanda grandia dona prece*] Sic nos ex veteri lectione castigavimus, sed & recte in nonnullis: *blandae grandia dona preces*.

Ex Phaedra.

v. 31. *Sed tamen ille prior, quo me sine crimine gessi*] multo vetus lectio melior: *Si tamen ille prior*. sequitur enim: *At bene successit, digno quod adurimur igne*. v. 47. *Nunc feror, ut Bacchi furiis Eleides actae*] Sic in omnibus. Quin & *Planudes*, qui *Epistolas* has *Heroidum* in *Graecam* linguam transfert, sic hoc carmen interpretatur : *νῦν δὲ φέρομαι ὡς αὐταῖς τῦ βάκχυ μαρίαις ἐλαυνόμεναι ἠλήϊδες*. Quidam tamen ab *Eleleo*, *Eleleides* malunt. v. 58. *Enixa est utero crimen, onusque suum*.] Nos ita ex veteri lectione correximus. sed & recta prior lectio: *Enixa est utero crimen, onusque suo*. ut inferius in *Canace*: *Et positum est uteri crimen, onusque mei*. v. 103. *Ipsa comes veniam, nec me latebrosa movebunt Saxa*.] Legitur, & *salebrosa*, quae lectio fortasse verior. v. 157. *Quod mihi sit genitor, qui possidet aequora, Minos*.] Recta profecto haec, & vetus lectio, sed & recte in nonnullis: *Quid, mihi si genitor, qui possidet aequora, Minos?* & reliqua per interrogationem.

Ex

Ex Oenone.

v. 16. *Depressa est humili cana pruina casa.*] Quidam ex veteribus, *defensa*. ego nusquam legi: &, *depressa* cur legi non possit, nescio. v. 45. *Et flesti, & nostros vidisti flentis ocellos.*] Nonnulli, & fortasse rectius: *& madidos vidisti flentis ocellos.* v. 119. *Dum licet, obscoenam ponto demergite puppim.*] In quibusdam: *Dii, mergite puppim.*

Ex Hypsipyle.

v. 7. *Quamlibet adverso signetur epistola vento.*] In quibusdam: *Quolibet adverso.* ut alibi etiam: *Quaslibet admissas detinuere rates.* Quin multis aliis in locis utitur hac locutione *Ovidius*. mihi utrumque rectum videtur. v. 29. *Vivit, ait: timidumque mihi jurare coëgi.*] In pluribus antiquis libris: *Vivit, ait: timidum, quod ait, jurare coëgi.* Quod & *Planudes* agnoscit, & ego rectius judico. v. 37. *Devicto serpente, iterum, si vivat Iason*] sic in nonnullis. sed & recte: *Devictus serpens.* v. 85. *Illa reluctantem cursu deducere Lunam*] sic in omnibus. ego libenter *curru* legerim, non *cursu.* v. 103. *Non haec Aesonides, sed filia Phasias Aetae*] Sic in veteribus nonnullis exemplaribus. & profecto *Phasis Aeetae* nullo pacto legi potest, ut *Aeetae* prima corripiatur. neque ulla est similitudo inter hoc, & *praeustum Virgilianum*, ac *praeacutum Ovidianum*. simplex est nomen *Aeeta*: composita illa. Ac simplicis quidem alicujus nominis primam syllabam diphthongo longam corripi, neque umquam vidi, neque, quomodo fieri possit, intelligo. in compositis ea ratione potest, qua diphthongi in ultima syllaba, sequente vocali, ut: *Insulae Ionio in magno.* *prae* enim monosyllabam praepositionem finit diphthongus, & voca-

S lis

lis sequitur. Et id tamen est animadvertendum, quod apud alium neminem *Aetam* bissyllabum est invenire, praeterquam apud *Ovidium*, & id hoc tantum loco, quod affirmari possit (si tamen hoc modo legendum est hoc carmen) nam in *Medea*, quamvis in veteribus nonnullis legatur: *Excipit hospitio juvenes pater Aeta Pelasgos*; non minus tamen est reperire: *Juvenes Aeeta Pelasgos*. in VII. etiam *Metamorphoseon*: *Dissimilemque animum subiit pater Acta relictus*; *Subiit Aeeta relictus*, in multis legitur. Ideo vel *Ovidium* hoc nomen ex trisyllabo in bissyllabum contraxisse dicendum est: vel fortasse *Phasias Aeetae* legendum, ut *arbutus horrida*, ac mille alia. Quod & ex *Planude* quasi colligi potest, qui hoc ita interpretatur carmen: οὐ ταῦτ' αἰσονίδης, ἀλλ' ἡ φασιὰς αἰήτου θυγάτηρ.

V. 107. *Illa sibi a Tanais, Scythicaeque paludibus undae*] vetus lectio, *a Tanai*. V. 118. *Me quoque jam tales inter habere potes*] In veteribus quibusdam libris: *Me quoque res tales*. in aliis: *Me quoque quod tales*. quodnam horum rectius sit, judicent alii. Ego, quoquo modo legatur, non satis, quid sibi *Ovidius* velit, percipio.

V. 137. *Quid referam? scelerata piam si vincit*] Rectius, mea sententia, in quibusdam: *Quid refert? scelerata piam si vincit*. V. 153. *Quod gemit Hypsipyle, lecti quoque succuba nostri*] vetus lectio: *subnuba nostri*.

Ex Didone.

V. 33. *Aut ego, quae cepi (neque enim dedignor) amare, Materiam curae praebeat ille meae.*] In quibusdam, &, mea quidem sententia, multo rectius: *Aut, ego quem cepi (neque enim dedignor) amare*. ut id dicat, quod alibi *Ovidius*: *Aut amet, aut faciat, cur ego semper amem*.

V. 45. *Non ego sum tanti, quod non mediteris inique*] In qui-

quibusdam *meditaris*. utrumque recte. v. 113. *Occidit in terras conjux mactatus ad aras.*] sic in omnibus. ego, quid sibi illud *in terras* velit, nescio. fortasse *internas* legendum. ante Deos enim *Penates*, & aras domesticas occisus est *Sichaeus*; ut *Virgil.* etiam: *& sparsos fraterna caede Penates.* v. 123. *Mille procis placui, qui me coïere querentes*] Sic legendum, neque ullo pacto *in me coïere* admittendum; ut sit: *querentes me praeposuisse.*

Ex Hermione.

Initio Epistolae: *Alloquor Hermione nuper fratremque virumque, Nunc fratrem: nomen conjugis alter habet.*] non inveniuntur haec in antiquis exemplaribus carmina. sed omnino, his ablatis, nescio quid desideraretur.

v. 50. *Sed tu quid faceres? induit illa patrem.*] Sic in omnibus. ego *pater* legendum puto; ut sit: *pater induit illa tibi arma.* ut idem *Ovidius*: *Induit arma tibi genitor patriaeque tuusque.* v. 104. *Et minus a nobis diruta Troja fuit.*] Sic in nonnullis. quidam: *Ah non hoc nobis diruta Troja fuit.* in aliis: *Munus & hoc nobis diruta Troja dedit.* quod & *Planudes* interpretatur: & fortasse est rectius. Sunt & qui legant: *& minus hoc nobis diruta Troja fuit.* v. 117. *Per genus infelix oro, generisque parentem*] Multo in quibusdam rectius: *Per genus infelix juro.*

Ex Deianira.

v. 15. *Se tibi pax terrae, tibi se tota aequora debent.*] Sic in veteribus: atque hoc loquendi modo *septimo* etiam *Metamorphoseon Ovidius* utitur: *Tibi se semper debebit Iason.* v. 53. *Una recens crimen referetur adultera nobis*] Vetus haec lectio, & superioribus carminibus congruens. ait enim: *Nec referam partus, Ormeni Nympha, tuos. Nec tibi crimen erunt Teutrantia turba sorores.*

V. 73. *Maeonias inter calathum tenuisse puellas*] Rectius vetus lectio: *Inter Ioniacas*, brevi prima syllaba, ut: *Nec Latium norat, quam praebet Ionia dives*. V. 97. *Quique inter laevumque latus, laevumque lacertum Praegrave compressa fauce pependit onus.*] sic vetus lectio. Atque in his versibus *Antei & Herculis* lucta ita ab *Ovidio* describitur, ut sublatum laevo brachio *Anteum Hercules* sustineat, ne mater vires subministret, dextra autem manu fauces comprimens eum necet. aliter id *compressa fauce* nullam ad rem accommodari poterit. Sunt tamen qui de *Nemeaeo* leone hic agi credant, ac *dextrumque lacertum* legant. V. 119. *Haec tamen audieram: licuit non credere famae.*] In quibusdam: *Haec tantum audieram*. utrumque recte. V. 141. *Semivir occubuit vi, Lerniferoque veneno*] Melius fortasse in nonnullis: *letiferoque veneno*. V. 167. *Et pater, & patriae frater ademte meae.*] In quibusdam, *tuae*, non *meae*, & fortasse elegantius.

Ex Ariadna.

V. 10. *Thesea prensuras semisopita manus.*] Quum *primo* etiam *Amorum*, *Elegia* XIV. *Ovidius* antepenultimam *semisopitae* syllabam corripuerit eo versu: *Purpureo jacuit semisopita toro*, nullo pacto hoc invertendum carmen. V. 111. *Crudeles somni, quid me tenuistis inertem?*] Sic in omnibus. sed melius sit fortasse, *qui*, non *quid*; ut non interrogatio, sed exclamatio quaedam sit, veluti & ea, quae sequuntur.

Ex Canace.

V. 43. *Ah nimium vivax admotis restitit infans Artibus,*] si quis superiores versus consideret, videbit *At* legendum esse, non *Ah*. V. 128. *Mandatis perfruar ipsa patris.*] Quidam ex veteribus legunt: *Mandatum*

pro-

prosequar ipsa patris: quam lectionem & *Planudes* transfert. Sed & prior recte.

Ex Medea.

v. 1. *Ut tibi Colchorum, memini, regina vacavi.*] Sic in veteribus exemplaribus, & recte, mea sententia, ut scilicet haec particula, *ut*, *quum* significet, sequitur enim, *Tunc quae dispensant*, & reliqua. neque vero nescimus, *at*, esse quandoque inceptivam particulam: sed nullus nunc illi locus. v. 13. *At, semel in nostras quoniam nova puppis arenas*] In quibusdam, *Aut semel.* quae lectio fortasse rectior. v. 110. *Munus in exsilio quodlibet esse tuli.*] In quibusdam: *Munus, in exsilio quod licet esse, tuli.* quae fortasse melior lectio. v. 137. *Ut subito nostras Hymen cantatus ad aures*] Sic & *Catullus* producta prima syllaba *Hymen* pronunciavit eo versu: *Hymen o Hymenaee Hymen ades o Hymenaee.* quod imitatus *Graecos* fecit. nam & *Theocritus* in *Helenes Epithalamio:* ὑμὰν ὦ ὑμήναιε γάμῳ ἐπὶ τῷ δε χαρείης. Ego tamen libentius correpta legerem, sed nusquam aliter inveni: neque quidquam ex me addere audeo. quidam legunt: *At subito nostras ut Hymen cantatus ad aures.*

Ex Laodamia.

v. 165. *Ultima mandato claudatur epistola parvo*] rectior fortasse vetus lectio: *claudetur epistola parvo.*

v. 166. *Sit tibi cura mei: sit tibi cura tui.*] Sic in omnibus. ego libenter legerem: *Si tibi cura mei, sit tibi cura tui.*

Ex Hypermnestra.

Hypermnestra Lynceo, non *Lino*, legendum. hoc enim nomine fuit is, qui e quinquaginta fratribus ab *Hypermnestra Danai* filia servatus est; ac *Danao* postea successit; auctore *Pausania* in *Corinthiacis.* v. 18. *Et subitus dextrae praepedit ossa tremor.*] In quibusdam, *orsa* le-

legitur, non *offa*, & recte fortasse. V. 42. *Quaeque tibi dederam vina, soporis erant.*] In quibusdam, *dederant*. V. 123. *At tu, si qua piae remanet tibi cura sororis*] Sic in veteribus nonnullis. sed omnino rectius in quibusdam: *At tu, si qua piae, Lynceu, tibi cura sororis:*

EX PARIDE.

V. 24. *In mare nimirum jus habet orta mari.*] Sic in veteribus. sed & recte: *nil mirum*. V. 39. *Nec tamen est mirum, si, sicut oporteat, arcu*] Ab hoc versu centum & quatuor carmina non inveniuntur in antiquis exemplaribus. Quin & *Planudes* hanc *Epistolam* transferens, haec eadem non agnoscit. neque tamen dubium esse ulli potest, quin *Ovidii* ipsius sint. Sed fortasse credendum est, quum *Epistolam* hanc composuisset, aut demsisse illum haec, ut nimiam luxuriam, & loquacitatem quasi quamdam resecaret, quae in his versibus cernitur: aut addidisse potius venustatis gratia; venusta enim, & elegantia sunt eorum multa. Luxuriam autem, & abundantiam non solum hic poëta ut vitium numquam fugit: sed & ut virtutem semper appetivit. Animadvertendum tamen est, si haec relinquantur carmina, summovenda duo illa paulo inferius: *Quum Venus, & Juno, Pallasque in vallibus Idae Corpora judicio supposuere meo*. permoleste enim saepius idem diceretur. V. 114. *Sponsor conjugii stat Dea picta sui.*] credo *tui* legendum. V. 141. *Nec tibi per usquam Phrygiam, nec solis ab ortu.*] Rectius fortasse fit: *Nec tibi par usquam Phrygiae*. Ut sit *usquam Phrygiae*, veluti *usquam locorum*, *usquam gentium*.

EX HELENA.

V. 21. *An, quia vim nobis Neptunius intulit heros*] In nonnullis: *attulit heros*. V. 157. *At mihi sic jussum est*]

Visum

Visum in omnibus, non *jussum* legitur. Sed nos, quum his ex *Paridis Epistola* versibus respondeat *Helena*: *Exit, & Idaei mando tibi, dixit iturus, Curam pro nobis hospitis, uxor, agas. Negligis absentis (testor) mandata mariti. Cura tibi non est hospitis ulla tui*; *Jussum* legendum credidimus. v. 259. *Aut ego deposito faciam fortasse pudore*] In quibusdam, *timore*, non *pudore*.

EX LEANDRO.

v. 205. *Pace brevi nobis opus est, dum transferor istuc.*] In quibusdam, *dum transfretor istuc*. mihi *transferor* magis placet.

EX HERONE.

v. 42. *An vigilant omnes, & timet ille suos?*] In quibusdam *patre*, non *suos* legitur. utrumque recte.

v. 45. *Annuit illa fore, non nostra quod oscula curet*] In quibusdam, *Annuit illa fere*. & fortasse recte.

v. 68. *Ne careant vera gaudia nostra fide.*] In quibusdam, *Nec careant*. recte utrumque. v. 148. *A tibi suspecto duxit Ulysse genus.*] quidam legunt *despecto*. quasi scilicet nimis leve sit *suspecto*. mihi *suspecto* placet. quod verbum apud *Ovidium invisum* significat; ut in *Acontio* etiam: *Hic facit, ut jaceas, & sis suspecta Dianae*. v. 192. *Nescio quid pavidum frigore pectus habet.*] Multo rectius legunt quidam: *Nescio quod pavidum pectora frigus habet*.

EX ACONTIO.

v. 41. *Mille modi restant: clivo sudamus in uno.*] In quibusdam: *Clivo sudamus in isto*. v. 113. *Inde fit, ut quoties exsistere perfida tentas*] In nonnullis, *obsistere*. in aliis, *insistere*. v. 120. *Quique subest niveo lenis in ore rubor.*] In quibusdam, *laevis*. v. 134. *Astringoque manus, insideoque toro.*] Legendum ex antiquis exemplaribus:

bus: *effingoque manus*. & paulo inferius: *Ille manus istas astringit, & assidet aegrae. effingit, & assidet aegrae*; eo verbi significatu, quo idem *Ovidius V. Fastorum* utitur eo versu: *Ille manus aegras manibus fingebat amicis*. Et *Virgilius Aeneidos VIII. Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.* v. 143. *Quis tibi permisit nostras decerpere messes?*] In nonnullis: *nostras praecerpere messes*.

EX CYDIPPE.

Omnia carmina, quae ab eo sunt versu: *Quos vereor paucos ne velit esse mihi*, non leguntur in antiquis ullis, quae viderim, exemplaribus. Neque ea *Planudes* transfert. Atque ideo non sunt fortasse ipsius *Ovidii*. v. 30. *Sed melior justo, quamque mereris, ero.*] Legendum arbitror: *quamque mereris, ego*.

EX SAPPHUS EPISTOLA.

v. 7. *Flendus amor meus est: Elegi quoque flebile carmen.*] Non ideo hoc carmen immutavimus, quod *Elegia* legi non possit. ultima illa syllaba non solum ob subsequentes consonantes longa esse potest, sed & ob praecedentem ει diphthongum, *Graecorum* more; ut etiam alibi *Ovidius*: *Venit odoratos Elegia nexa capillos*. &, *Flebilis indignos Elegia solve capillos*. &, *Blanda pharetratos Elegia cantet Amores*. In his omnibus ultima hac ratione producitur: ut mihi recte illi fecisse videantur, qui his in locis *Elegeia* cum *ei* scripserunt. non tamen, ut dividatur, ac dicatur *Elegeïa*. Sed quamvis *Elegia* legi possit, vetus tamen haec lectio, *Elegi quoque*, mihi longe visa est elegantior. v. 8. *Non facit ad lacrimas barbitos illa meas.*] Sic in veteribus. Sed & *ulla* recte. v. 15. *Nec me Pyrrhiades, Methymniadesve puellae*] Sic vetus lectio. & recte, mea sententia, *Pyrrhae* prius, & *Methymnae*, quae sunt *Lesbi* civi-

tates,

tates, puellae praeponuntur: mox *caetera Lesbiadum turba* subjungitur. Si quis in hoc quidpiam reprehendit, is profecto ipsum *Ovidium* reprehendit.

V. 17. *Vilis Amynthone, vilis mihi candida Cydno*] Rectior sit fortasse vetus lectio: *Vilis Anactorie*.

V. 19. *Quas non sine crimine amavi.*] Sic vetus lectio, ac mea quidem sententia recte. & inferius enim: *Lesbides, infamem quae me fecistis amatae*. Et nemo nescit, quid de *Sapphus* in puellas amoribus dicatur.

V. 33. *Sum brevis: at nomen, quod terras impleat omnes, Est mihi: mensuram nominis ipsa fero.*] Longe diversa ab ea, quae circumferebatur, lectione vetus haec lectio: sed & longe mihi visa est elegantior. ac fieri quidem potest, ut utroque modo *Ovidius* scripserit; sed id si verum est, hoc pacto castigavit, aut prima illa lectio subditicia. Unum hoc mihi credant boni viri, credant eruditis pluribus, quos a me nunc nominari non est necesse, qui *vetustissimum* id *Exemplar* inter caetera castigatissimum, ex quo & alia plurima, & haec correxi, viderunt: & mihi probatissimi hujusce rei testes sunt: nihil a me fictum esse, nihil additum. quaecumque immutavimus, praeter pauca quaedam, quae & lectorem monuimus, ita nobis videri castiganda; ex antiquis exemplaribus immutavimus, ita ut nihil industriae, aut ingenio meo, labori certe aliquantulum debeatur.

V. 48. *Crebraque mobilitas, aptaque verba joco.*] In nonnullis, *loco*. V. 57. *Tu quoque, quae montes celebras, Erycina, Sicanos*. Sic vetus lectio: quum prius *immites* legeretur. Et profecto, quum *Venerem* blande roget *Sappho*, quasi objicere eam *immites Sicanos* colere, ineptum quoddam esset. quam ob caussam, vetus le-

T ctio

ctio magis placet, & eo magis, quod ab *Eryce Siciliae* monte est *Erycina* dicta. v. 76. *Non Arabum noster dona capillus olet.*] Sic vetus lectio. neque tamen minus elegans, neque minus ipsius *Ovidii* existimandum id, quod prius legebatur, carmen: *Non Arabo noster rore capillus olet.* v. 103. *Nil de te mecum est, nisi tantum injuria: nec te Admoneat, quod tu munus amantis habes.*] Sic in veteribus: & recte mea sententia. quidam tamen *admonuit* malunt, neque id non recte. ad haec, *pignus* in quibusdam, non *munus*. v. 159. *Quem supra ramos extendit aquatica lotos.*] In nonnullis *expendit*. in aliis *expandit*. recte omnia. v. 162. *Constitit ante oculos Naias una meos.*] Sic in veteribus, & profecto recte. inferius enim: *Ibimus, o Nymphe*. Quidam aliter legunt. mihi, quum sequatur, *Constitit, et dixit*; repetitum id *constitit* & *Ovidianum* maxime, & perelegans videtur. v. 169. *Nec mora versus amor fugit lentissima mersi Pectora.*] Sic vetus lectio; & recte. quo enim pacto prius legebantur haec carmina, maxime inter se diffidebant. v. 183. *Grata lyram posuit tibi, Phoebe, poëtica Sappho.*] Sic in omnibus: ut non substantivum sit, sed adjectivum *poëtica*. quidam *poëtria* corrigunt, ut *psaltria*, & alia nonnulla. v. 195. *Nunc vellem facunda forem.*] Fortasse rectius sit, *forent*.

v. 211. *Sive redis: puppique tuae votiva parantur Munera.*] In nonnullis *paramus*. mihi *parantur* placet.

EX PRIMO AMORUM.

ELEGIA I.

v. 3. *Ut jam nulla tibi non sit legisse voluptas,*] Si quis diligenter sensum carminis consideret, multo id fortasse rectius judicabit, quod in nonnullis legitur: *Ut*

non

non ulla tibi jam sit legisse voluptas. Eleg. ii. v. 6. *An subit? & tacita callidus arte nocet?*] In quibusdam: *tecta callidus arte nocet?* recte utrumque.

Eleg. v. v. 1. *Aestus erat: mediamque dies exegerat horam*] Legitur & *excesserat* recte. Eleg. viii. v. 37. *Quum bene dejectis gremium spectabis ocellis*] fortasse *spectaris* rectius. v. 45. *Has quoque, quas frontis rugas in vertice portas*] Nusquam aliter: ego aliud quid desidero.

v. 65. *Nec te decipiant veteris quinquatria cerae.*] Nihil hic ea dictio *quinquatria* significat. fortasse, ut in quibusdam, *quinque atria* legendum: ut maxime nobilis significetur is, cujus majorum imagines vel quinque compleant atria. v. 71. *Nec nocuit simulatus amor: sine credat amari:*] In nonnullis: *se credat amari.*

v. 89. *Et sibi pauca rogent: multos si pauca rogabunt*] Legitur etiam: *multi si pauca rogabunt*; quae fortasse verior lectio. Eleg. ix. v. 31. *Ergo desidiam quicumque vocabit amorem*] rectius in quibusdam, *vocavit.*

Eleg. xii. v. 20. *Vulturis in ramis, & Strygis ova tulit.*] In quibusdam, *ora*, non *ova.*

EX SECUNDO AMORUM.

ELEGIA I.

v. 30. *Quid pro me Ajaces alter, & alter agent?*] In quibusdam, *Atrides*, non *Ajaces*. utrumque recte.

Eleg. v. v. 41. *Hic erat, aut aliquis color ille simillimus horum.*] Multo rectior vetus lectio: *His erat, aut alicui color ille simillimus horum.* v. 61. *Illa, nisi in lecto, numquam potuere doceri.*] Legendum, ut in nonnullis: *nusquam potuere doceri.* Eleg. vi. v. 11. *Omnes, quae liquido libratis in aëre pennas*] In veteribus, *vibratis.* Sed & recte *libratis.* v. 45. *Septima lux venit non exbibi-*

hibitura sequentem.] *Aderat* in quibusdam legitur, non *venit.* v. 58. *Convertit volucres in sua vota pias.*] Nonnulli, *in sua verba pias:* & fortasse melius.

Eleg. vii. v. 25. *Scilicet ancillam, quae sit tibi fida, rogarem.*] Legitur in nonnullis, *quae tam tibi fida:* & fortasse rectius. Eleg. viii. v. 1. *Ponendis in mille modis perfecta capillis*] In quibusdam, *praefecta*, ut significet ancillam, quae A capillis esset. Sed & *perfecta* fortasse rectius. Eleg. ix. v. 4. *Laedis: & in castris vulneror ipse tuis.*] In quibusdam, *meis.* v. 38. *Vix ullis prae me nota pharetra tua est.*] In nonnullis: *Vix illis prae me nota pharetra sua est.* utrumque recte.

v. 44. *Sperando certe gaudia magna feram.*] In antiquis, *praemia*, non *gaudia*. Eleg. x. v. 9. *Errat, ut a ventis discordibus acta phaselus.*] In veteribus: *Errant, ut ventis.* v. 18. *Et medio late ponere membra toro.*] *Laxe* vetus lectio, non *late*. Eleg. xi. v. 1. *Prima malas docuit mirantibus aequoris undas*] Et vetus lectio restituetur, & sensus carminis erit rectior, si *undis* legas, non *undas.* v. 27. *Quod si concussas Triton exasperat undas*] *Exasperet* ex veteri lectione legendum.

Eleg. xiii. v. 7. *Isi, Paraetonium, genitaliaque arva Canopi*] Rectius in nonnullis, *genialia.*

Eleg. xiv. v. 29. *Colchida respersam puerorum sanguine culpant*] In quibusdam: *natorum sanguine culpant.*

Eleg. xvi. v. 41. *Ulmus amat vites, vitis non deserit ulmum.*] Elegantius in nonnullis: *Ulmus amat vitem.*

Eleg. xviii. v. 3. *Nos, Macer, ignavae Veneris cessamus in umbra.*] In quibusdam, *ignava.* v. 13. *Sceptra tamen sumsi, curaque Tragoedia nostra*] In nonnullis: *versuque Tragoedia nostro.* v. 19. *Quod licet, aut artes teneri profitemur amoris*] *Partes* in omnibus. nos *artes* legendum putavimus.

EX

EX TERTIO AMORUM.

Elegia I.

v. 45. *Quam tu non poteris duro reserare cothurno*] Legendum ex veteri lectione, *poteras*.

Eleg. ii. v. 84. *Hoc satis est: alio caetera redde loco.*] Rectior vetus lectio: *Hoc satis hic*. Eleg. v. v. 25. *Inachus in media Bithynide pallidus isse*] Fortasse *Melia* legendum, ut sit *Nymphae* nomen. fit enim & ab *Apollonio* secundo libro mentio cujusdam *Meliae Nymphae Bithynidis*, quae *Neptuno Amycum* peperit. ὅν ποτε νύμφη τίκτε Ποσειδάωνι γενεθλίῳ εὐνηθεῖσα Βιθυνὶς Μελίη.

v. 46. *Tiburis Argei spumifer arua rigas.*] Legitur & *pomifer*; quod & *Horatius: Et praeceps Anio, & Tyburti lucus, & uda Mobilibus pomaria rivis*. utrumque recte.

v. 71. *Sera tamen scindens inimico pollice crinem*] Rectius in nonnullis: *Saeva tamen scindens*. v. 85. *Dum loquor, increvit latis spatiosus in undis*] In quibusdam: *latis spatiosius undis*. & fortasse rectius. v. 101. *Huic ego nae demens narrabam fluminum amores.*] Quidam legunt, *nunc demens*. utrumque recte. Eleg. vi. v. 1. *Aut non formosa est, aut non bene culta puella, Aut puto non votis saepe petita meis.*] Multo rectior vetus lectio: *At non formosa est, at non bene culta puella: At puto non votis saepe petita meis.*

v. 4. *Sed jacui pigro crimen, onusque toro.*] In quibusdam, *sic jacui*. utrumque recte. v. 61. *Quid juvat, ad surdas si cantet Phineus aures?*] Sic in omnibus: Nos ex *Homero Phemius*. v. 79. *Aut te trajectis Aeaea venefica lanis*] Sic in quibusdam. Et in magicis quidem sacris lanis utebantur, ut apud *Theocritum*: στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ. Sed & *ranis* in nonnullis scriptum est, ut de *rubetis* intelligatur, quarum maximus in magicis usus.

Ele-

Eleg. viii. v. 23. *Et Linon in silvis idem pater edidit altis. Dicitur invicta conticuisse lyra.*] Sic in omnibus. quidam tamen: *Et Linon in silvis idem pater abditus altis Dicitur invicta concinuisse lyra.* quae lectio sit fortasse rectior. v. 25. *Aspice Maeoniden*] In quibusdam: *Adjice Maeoniden.* v. 33. *Quid nos sacra juvant?*] In quibusdam: *Quid nunc sacra juvant?* Eleg. ix. v. 28. *Hinc pudor, ex illa parte trahebat amor.*] Vetus lectio: *ex alia parte trahebat amor.* Eleg. x. v. 17. *Quando ego non fixus lateri spatiantis adhaesi?*] In nonnullis: *patienter adhaesi?* Eleg. xi. v. 11. *Me lenone placet, duce me productus amator.*] In nonnullis, *perductus*, & rectius fortasse.

EX PRIMO DE ARTE AMANDI.

v. 11. *Phyllirides puerum cithara perfecit Achillem.*] Sic nos legendum putavimus, ut sit *perfecit*, *exacte erudivit*, ut: *Ponendis in mille modis perfecta capillis.*

v. 25. *Non ego, Phoebe, datas a te mihi mentiar artes.*] rectius in quibusdam, *mentior.*

v. 53. *Andromeden Perseus nigris portarit ab Indis:*
Raptaque sit Phrygio Graja puella viro.]
Nobis haec elegantior visa est lectio: quum in omnibus, *portavit ab Indis: Raptaque sic*, legeretur. neque tamen prior illa non recta. v. 126. *Et potuit multas ipse decere pudor.*] Rectius fortasse in nonnullis, *timor*, non *pudor*. v. 281. *Parcior in nobis, nec tam furiosa libido est.*] Sic in veteribus, & recte; sed & *fortior* legi potest. ut in Herone: *Fortius ingenium suspicor esse viris.* & in *Metamorphoseon VII. Et jam fortis erat, pulsusque resederat ardor.* v. 367. *Hanc matutinos pectens ancilla capillos*] In nonnullis, *matutino.*

v. 587.

V. 587. *Inde propinator nimium quoque multa propinet:*
Et sibi mandatis plura videnda putet.] Recta sit fortasse haec lectio. & congruus enim sane sensus elicitur, & ab omnibus hactenus probata est. mihi tamen nescio quo pacto id subblanditur magis, quod in veteribus prope omnibus libris legi: *Inde procurator nimium quoque multa procurat, Ut sibi mandatis plura videnda putet.* ut scilicet id persequatur *Ovidius*, quod proximis carminibus ceperat: ac de iis loquatur, qui sub amici nomine obrepentes, maritos fallunt; atque illis absentibus procuratores relicti, quod persaepe inter amicos, ac familiares evenit, uxoris etiam curam habentes, plura curent, quam illis mandatum sit. hoc sensu verba illa *procurare*, & *mandata*, & *videre*, maxime proprio significatu proferrentur. V. 599. *Et quidquid dices, faciesve protervius aequo*] Rectior fortasse vetus lectio: *Ut quidquid dicas, faciasve.* V. 644. *Hac minus est una fraude pudenda fides.*] In nonnullis: *tuenda fides*, & fortasse rectius.
V. 686. *Grataque in Iliacis moenibus uxor erat.*] Sic in omnibus. Ego *Graja* legendum puto.

EX SECUNDO DE ARTE AMANDI.

V. 54. *Qua licet, inventis aëra rumpe meis.*] In nonnullis, *quam licet.* utrumque recte. V. 81. *Dextra Lebynthos erat, silvisque umbrosa Pachynne.*] Nulla usquam insula *Pachynne*. Ideo *Calymna*, non *Strabone* solum, sed ipso etiam eodem *Ovidio* auctore, legendum; qui *VIII. Metamorphoseon* de eodem *Icaro* verba faciens, quum aliis nonnullis carminibus, quibus hic, utitur, tum hoc prope totum sumit: *Dextra Lebynthos erat, fecundaque melle Calymna.* V. 93. *At pater infelix*

lix, non jam pater, Icare, clamat] Ex viii. *Metamorphoseon: nec jam pater.* v. 177. *Si nec blanda satis, nec erit tibi comis amica*] In nonnullis: *Si nec blanda satis, nec erit tibi comis amanti.* v. 196. *Artis erunt cautae mollia jussa meae.*] In quibusdam, *certe*, non *cautae*.

v. 204. *Tu male jactato, tu bene jacta dato.*] In nonnullis: *tu male jacta dato.* v. 209. *Ipse tene distincta tuis umbracula virgis*] In nonnullis: *Ipse tene distenta suis umbracula virgis.* & fortasse rectius. v. 219. *Jonicas inter calathum tenuisse puellas*] Legendum ex veteribus, ut in *Epistolis: Inter Joniacas.* v. 239. *Cynthius Admeti vaccas pavisse per aestus*] In quibusdam, *per herbas.* in aliis *Pheraeas*. recte omnia. v. 243. *Si tibi per tutum, placitumque negabitur ire,*] *Placidum* legendum ex veteribus. v. 295. *Sed tu, cuicumque est retinendae cura puellae*] In quibusdam, *Sed te.* v. 332. *In thalamos multis haec via fecit iter.*] In antiquis: *in tabulas multis*, & fortasse rectius, ut loquatur de iis, qui testamenta senum his captant artibus, quibus ipse puellas captari docet. v. 339. *Dum novus errat amor, vires sibi colligit usu.*] In nonnullis, *colligat.* v. 379. *In ferrum, flammasque ruit, positoque decore*] Legitur & *pudore*. recte utrumque. v. 413. *Sed lateri nec parce tuo.*] In quibusdam: *ne parce tuo.* v. 421. *Candidus, Alcathoë qui mittitur urbe Pelasga:*] Profecto nulla usquam urbs *Alcathoë*. Ideo recte fortasse quidam & hic, & aliis nonnullis in locis, ubi *Alcathoë*, ut nomen urbis, legitur, *Alcathoi* corrigunt, ac *Megaram* intelligunt; cujus, auctore *Pausania*, imperium *Alcathous Pelopis* filius post *Megareum* tenuit, ducta ejus, ob occisum *Cytheronium* leonem, in matrimonium filia. Sed & e duabus, quae *Megarae* erant, arcibus, ab *Alcathoo* altera, eodem

dem *Pausania* auctore, *Alcathoë* dicta est. atque hinc fortasse *Ovidius* totam *Megaram Alcathoën* dixerit.

V. 511. *Ad propiora vocor. quisquis sapienter amabit*] Rectius fortasse in nonnullis: *patienter amabit*.

V. 558. *Peccent: peccantes verba dedisse putent.*] Rectius in antiquis, *Peccant*. V. 603. *Eximia est virtus praestare silentia rebus.*] Nonnulli: *Exigua est virtus*.

V. 656. *Assidue domitas tempore fallit odor.*] *Assiduo* nonnulli. V. 661. *Dic agilem, quaecumque brevis.*] *Habilem* in quibusdam.

EX TERTIO DE ARTE AMANDI.

V. 24. *Nec mirum, populo si placet ipsa suo.*] Multo rectius in veteribus: *si favet ipsa suo*. ac de feminis intelligendum. V. 37. *Quaere, novem cur isse vices dicatur*] Nonnulli *vias*, non *vices* legunt, moti fortasse eo *Ovidii* versu: *Et per quod novies, saepius isset iter*.

V. 149. *Sed neque ramosa numerabis in ilice frondes,*] In quibusdam, *glandes*. V. 188. *Nam non conveniens omnibus unus erit.*] In nonnullis: *omnibus omnis erit*. utrumque recte. V. 210. *Ars faciem dissimulata juvet.*] In quibusdam, *juvat*. V. 216. *Nec coram dentes perfricuisse probem.*] *Defricuisse* in veteribus, & rectius. ut *Catul. Dentem, atque rusam defricare gingivam*. V. 225. *Tu faciem cura, dum te dormire putemus.*] Rectior fortasse vetus lectio: *Tu quoque quum coleris, nos te dormire putemus*. V. 269. *Pallida purpureis tangat sua corpora virgis.*] In veteribus, *tingat*.

V. 409. *Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,*
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.] Aliter in omnibus. mihi tamen, qui hos versus ita castigarunt, recte admodum visi sunt castigasse. atque ideo eos se-

cutus sum. v. 429. *Quid minus Andromede potuit sperare revincta?*] In veteribus: *Quid minus Andromedae fuerat sperare revinctae?* recte utrumque. v. 577. *Omnia tradantur: portas reserabimus hosti.*] In nonnullis, *tradentur.* v. 731. *Surgit, & oppositas agitato corpore frondes*] Vetus lectio, *appositas.* v. 740. *Hoc faciet positam te mihi terra levem.*] Rectius fortasse in nonnullis, *positae.* v. 782. *Semper in obliquo fusa sit illa toro.*] In veteribus: *Stet vir: in obliquo fusa sit illa toro.* & fortasse rectius, siquis diligenter sensum carminis consideret.

EX LIBRO DE REMEDIO AMORIS.

v. 88. *Nunc stat in immensum viribus aucta suis.*] Multo rectius, *acta*, ut paulo inferius: *Et mala radices altius arbor agit.* v. 137. *Haec ut ames faciunt: haec, ut fecere, tuentur.*] In nonnullis: *haec, quod fecere.*

v. 164. *Quo tulerat vires Graecia tota suas.*] In veteribus, *Transtulerat.* mihi prior magis placet.

v. 253. *Me duce non tumulo prodire jubebitur umbra.*] Rectius fortasse in nonnullis, *videbitur.*

v. 343. *Auferimur cultu : gemmis , auroque teguntur Omnia.*] In nonnullis, *crimina*, non *omnia.*

v. 435. *Attrahat ille puer contentos fortius arcus*] Fortasse *At trahat* rectius. v. 453. *Pasiphaës Minos in Prognide perdidit ignes.*] In nonnullis, *in Phronide.* utcumque legatur; ego nusquam de his *Minois* amoribus quidquam legi. v. 455. *Amphilochi frater ne Phagida semper amaret, Callirhoë fecit, parte recepta tori.*] *Alcmaeonem* profecto intelligit: qui, quum, occisa matre, *Argo* fugiens, *Psophidem*, tunc *Phegiam* a *Phegeo* dictam, venisset; *Alphesiboeam Phegei* filiam uxorem duxit: cui

cui inter caetera & matris monile dono dedit. postea quum hinc etiam (quippe ubi illi in dies augesceret potius, quam minueretur, furor) aufugisset: consulto *Delphico* oraculo, in eam regionem venit, qua *Achelous* in mare irrumpit. hic & consedit ille, & *Callirhoën Acheloi* filiam uxorem habuit; ex qua *Amphoterum*, & *Acarnanem* filios genuit. quum vero muliebri quadam cupiditate mota *Callirhoë*, *Eryphilis* monile summopere sibi optaret: *Phegiam* ob id regressus *Alcmaeon*, ab *Phegei* filiis *Temeno*, & *Axione* occisus est. Haec prope, & plura *Pausanias* in *Arcadicis*. De hac omni re & *Ovidius* IX. *Metamorphoseon* meminit his versibus:

Subductaque suos manes tellure videbit
Vivus adhuc vates: ultusque parente parentem
Natus, erit facto pius, & sceleratus eodem:
Attonitusque malis, exsul mentisque, domusque,
Vultibus Eumenidum, matrisque agitabitur umbris:
Donec eum conjux fatale poposcerit aurum:
Cognatumque latus Phegeïus hauserit ensis.
Tum demum magno petet hoc Acheloïa supplex
Ab Jove Callirhoë, natis infantibus annos
Addat: neve necem sinat esse ultoris inultam.
Jupiter his motus, privignae dona, nurusque
Praecipiet: facietque viros impubibus annis.

Hoc vero in loco videtur non *Phagida*, sed a *Phegeo Phegida* legendum: quamvis rectius esset *Phegeïda*. Sed magna in his poëtarum licentia.

V. 566. *Uxorem fato credat obesse suo.*] In veteribus *adesse*. V. 576. *Destituit somnus, si modo somnus erat.*] In nonnullis: *Destituit somnum.* ut sit *placidum somnum.*

V. 593. *Ibat, ut Edonio referens trieterica Baccho.*] In

V 2 non-

nonnullis, *Aonio*, & fortaſſe melius; nam longa eſt ſecunda ſyllaba in *Edonio*. v. 663. *Forte aderat juvenis : dominam lectica tenebat :*] In veteribus: *Forte aderam juveni*. v. 679. *Nec compone comas, quum sis venturus ad illam.*] In nonnullis, *quia sis*.

v. 699. *Non ego Dulichias furiali more ſagittas*] Ego, quid id *Dulichias* ſibi velit, non intelligo: neque aliam lectionem inveni. v. 737. *Praeterita cautus Ripheide navita gaudet.*] Sic in veteribus. quidam legunt, *Niſeïde*. v. 774. *Et poteras nupta lactus abeſſe tua.*] Melior vetus lectio: *lentus abeſſe tua*.

EX LIBELLO DE MEDICAMINE FACIEI.

v. 2. *Et quo sit vobis cura tuenda modo.*] In nonnullis, *forma tuenda*. v. 61. *Namque ubi pulvereae fuerint confuſa farinae*] In nonnullis, *Jamque*, & fortaſſe rectius.

EX NUCE.

v. 23. *Nunc uterus vitio eſt, quae vult formoſa videri.*] Rectius fortaſſe in nonnullis: *Nunc uterum vitiat* : quod & *II. Amorum* idem *Ovidius Eleg.* xiv. *Scilicet ut careat rugarum crimine venter, Sternetur pugnae triſtis arena tuae*. Quin tota *Elegia* de hac re conqueritur. v. 97. *Jam tamen invenio, qui me jaculentur*] In quibuſdam rectius: *invenias, qui me jaculentur*.

EX SOMNIO.

v. 40. *Ingenium dominae lene movebat anus.*] In nonnullis, *lena*. utrumque recte.

EX

EX PRIMO FASTORUM.

V. 2. *Lapsaque sub terras, ortaque signa canam.*] In nonnullis, *cano.* V. 84. *Quos aluit campis herba Phalisca suis.*] In nonnullis: *terra Phalisca.* V. 206. *Et foenum capiti supposuisse, fuit.*] In quibusdam, *Nec foenum.* utrumque recte. V. 448. *Nunc penna veras, nunc datis ore, notas.*] In nonnullis, *vetitas.*

V. 562. *Impia per silvas victor ad antra venit.*] Melius vetus lectio: *ultor ad antra venit.* ut *Virgilius* etiam: *Nam maximus ultor Tergemini nece Geryonis, spoliisque superbus Alcides aderat.* V. 633. *Porrima placatur, Postventaque,*] In nonnullis, *Postvertaque.*

EX SECUNDO FASTORUM.

V. 18. *Respice, pacando siquid ab hoste vacas.*] Rectius, quod in nonnullis: *pacando siquid ab orbe vacat.* V. 24. *Torrida cum mica*] In nonnullis, *Turbida.* V. 48. *Primus ut est Jani mensis, & ante fuit.*] In nonnullis: *ita ante fuit.* V. 63. *Templorum positor, templorum sancte repertor*] Sic in veteribus; sed fortasse rectior prior lectio, *sancte repostor.*

V. 195. *Haec fuit illa dies, in qua Vejentibus arvis*] In aliquibus, *armis,* non *arvis.* recte utrumque.

V. 225. *Quo ruitis, generosa domus? male creditis hosti.*] melius fortasse in nonnullis: *male creditur hosti.*

V. 277. *Pan erat armenti, Pan illic numen aquarum.*] Nonnulli *equorum* legunt. V. 345. *Ascendit, spondaque sibi propiore recumbit*] In nonnullis, *resedit.*

V. 372. *Occursu praeda recepta Remi est.*] In nonnullis, *Accursu.* V. 385. *Is jubet auferri parvos.*] Rectius, quod in quibusdam: *auferri pueros.* V. 472. *Pro quo* nunc

nunc cernis sidera nomen habent.] In nonnullis: *Pro quo, quae cernis.* V. 499. *Sed procul e Longa veniebat Julius Alba.*] Rectius nonnulli, auctore *Livio*: *Sed Proculus Longa.* V. 860. *Quae Deus in campo perspicit ipse suo.*] *Prospicit*, in quibusdam.

EX TERTIO FASTORUM.

V. 7. *Palladis exemplo ponendae tempora sume Cuspidis*] in quibusdam, *Cassidis.* V. 63. *Saepe domum veniunt.*] in veteribus: *Saepe domum redeunt.* V. 74. *Credor, &, ut credar, pignora multa dabo.*] In nonnullis: *pignora certa dabo.* V. 59. *Martia ter senos proles adoleverat annos*] *ter senis annis*; nonnulli. V. 292. *Romani numen utrumque soli.*] *uterque*, in quibusdam.

V. 321. *Jupiter huc veniet valida perductus ab arte.*] In nonnullis: *nostra perductus ab arte.* V. 341. *Addidit hic hominis: sumes, ait ille, capillos.*] In nonnullis: *summos, ait ille, capillos.* V. 498. *Conjugis: assuevi semper amare virum.*] In nonnullis: *Conjugis assuetae semper amare virum.*

EX QUARTO FASTORUM.

V. 15. *Mota Cytherea est: leviter mea tempora myrto.*] Melior fortasse prior lectio: *Mota Cytheraea leviter*, ut fit *myrto Cytheraea.* V. 108. *Venerunt cultus, mundaque cura solo.*] Nonnulli, *sui*, non *solo* legunt, & fortasse rectius. V. 191. *Da, Dea, quam sciter, doctas, Cybeleia, neptes*] *Scite* in omnibus. nos *sciter* legendum putavimus. V. 229. *Fallit: & in Nympha Sangaride desinit esse,*] Secunda *Sangarii* fluvii syllaba brevis est: neque hic in *Sangaride* video, quomodo produci possit. in veteribus libris legitur *Sagaritide*,

quae

quae lectio mihi videtur rectior. video enim *Sangarium* & alibi ab *Ovidio Sagarim* dictum, *quarto* scilicet de *Ponto Eleg.* x. *Huc Lycus, huc Sagaris, Peniusque, Hypanisque, Cratesque.* v. 377. *Tertia lux (memini) ludis erit.*] In nonnullis, *erat.* v. 408. *Perpetuam pacem, pacificumque ducem.*] In nonnullis, *perpetuumque ducem.* v. 467. *Jamque Leontinos, Anisenaque flumina cursu*] In nonnullis rectius, *Amasenaque flumina.* *Amasenus* enim *Siciliae* fluvius, ut idem *Ovidius XV. Metamorphoseon* testatur his versibus: *Nec non Sicanias volvens Amasenus arenas, Nunc fluit: interdum suppressis fontibus aret.* v. 695. *Haec modo verrebat stantem tibicine villam*] Vetus haec, & vera lectio. *tibicines* autem dictae sunt rectae in aedificiis trabes, quibus tecta sustinentur. quo vocabulo & *Juvenalis Satyra III.* utitur eo versu: *Nos urbem colimus tenui tibicine fultam.* v. 741. *Ure mares oleas*] In nonnullis: *Ure maris rorem.* v. 745. *Adde dapes in utramque suas.*] In nonnullis: *in utrumque.* Sed rectius fortasse, quod in aliis, *mulctramque.*

v. 855. *Tunc juvenes nondum facti flevere Quirites.*] Rectius in quibusdam, *juvenem.* v. 857. *Urbs oritur (quis tunc hoc illi credere posset?)*] Rectius in nonnullis: *quis tunc hoc ulli credere posset?* v. 940. *Tota sitit tellus*] *Tosta* in quibusdam, non *tota.*

EX QUINTO FASTORUM.

v. 46. *Et praestat sine vi sceptra tenenda Jovi.*] *tenere,* in quibusdam. v. 228. *De quorum per me sanguine surgit honor.*] *vulnere* in nonnullis, non *sanguine.* v. 250. *Et Stygiae nomen testificabor aquae.*] In nonnullis, *numen.* v. 285. *Vindice servabat nullo sua publi-*

publica vulgus.] Nonnulli *pabula* legunt, non *publica*. v. 287. *Plebis ad aediles perducta licentia talis.*] Nonnulli *delata* malunt. v. 391. *Excipit hospitio juvenem Phyllirius heros.*] Recte in quibusdam, *Phylireïus*. secunda enim *Phylires* syllaba nullo pacto produci potest. prima quidem, quamvis natura brevis sit, tamen producitur duplicato *l*, ut *Phyllirides Chiron*. idem fit in *Phylaca*. recte enim dicitur: *Conveniunt matres Phylaceïdes*, & *l* duplicato, *Phyllacides*.

v. 686. *Abstulerint celeres improba verba Noti.*] In quibusdam, *perfida verba Noti*.

EX SEXTO FASTORUM.

v. 165. *Virgaque Janalis de spina sumitur alba.*] *Ponitur alba*, in nonnullis. v. 271. *Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem.*] Hic versus, & sequentes quinque in nullis vetustis exemplaribus reperiuntur.

v. 509. *O nimium faciles, o toto pectore captae*] *Captas* in nonnullis. utrumque recte. v. 584. *Donec eum positis occuluere togis.*] In quibusdam, *Donec eam*.

v. 701. *Ars mihi non tanti est: valeas, mea tibia, dixi.*] In nonnullis: *ars optima, dixi*. v. 711. *Tertia nox veniet, qua tu Dodona Thyene*] *Dodoni*, ut in quibusdam, rectius. ait autem *Hyginius*, *Pherecydem Atheniensem Hyadas*, dixisse, *Liberi* nutrices fuisse, & antea *Dodonidas Nymphas* appellatas: atque ipse nomina earum ponit; inter quas est & *Thyene*.

EX PRIMO TRISTIUM.

ELEGIA I.

v. 2. *Hei mihi, quod domino non licet ire tuo.*] In nonnullis: *quo domino*. utrumque recte. v. 58. *Dii*

fa-

facerent, posses non meus esse liber.] Quidam legunt: *possem nunc meus esse liber*, & fortasse rectius.

v. 88. *Ut satis in media sit tibi plebe legi.*] In nonnullis, *Et satis.* Eleg. iii. v. 29. *Hanc ego suspiciens, & adhuc Capitolia cernens,*] In quibusdam: *& ab hac Capitolia.* v. 75. *Sic doluit Priamus tum, quum in contraria versus Ultores habuit proditionis equus.*] Rectior sit fortasse ea lectio, & superioribus carminibus congruentior, quae a nonnullis substituitur: *Sic doluit Metius tum, quum in contraria versos Ultores habuit proditionis equos.* Sed nusquam invenitur. atque ideo ego ausus non sum immutare; & tamen recte ii fortasse sentiant, qui eam probant.

Eleg. vii. v. 45. *Aut mala nostra minus,*] In nonnullis: *At mala.* Eleg. x. v. 31. *Barbara pars laeva est avidae substructa rapinae.*] Rectius in nonnullis: *avidaeque instructa rapinae.*

EX SECUNDO TRISTIUM.

v. 138. *Parcaque fortunae sunt tibi verba meae.*] Rectius vetus lectio: *sunt ibi verba meae.* v. 189. *Solus ad ingressus missus septemplicis Istri.*] In nonnullis, *egressus.* v. 507. *Quodque minus prodest, poena est lucrosa poëtae.*] In nonnullis: *Quoque minus prodest.*

v. 518. *Quodque licet mimis, scena licere dedit.*] *Quodque libet*, in nonnullis.

EX TERTIO TRISTIUM.

Eleg. i. v. 40. *Cingit & augustas arbor opaca comas?*] *Fores*, nòn *comas*, ex veteribus legendum. v. 53. *Me miserum, vereorque locum, vereorque potentem,*] In nonnullis, *parentem*, & fortasse melius.

Eleg. ii. v. 18. *Et poenae tellus est mihi facta meae.*] Legendum ex veteribus: *tacta meae.*

Eleg. iii. v. 14. *Et subit affectu nunc mihi quidquid abest.*] Legendum ex veteribus: *affecto nunc mihi.*

Eleg. iv. v. 27. *Non foret Eumenides orbus,*] *Eumedes*, non *Eumenides*, legendum, qui *Dolonis* pater fuit, ut apud *Homerum* in *Iliados* κ' legitur: ἔην δέ τις ἐν Τρώεσσι Δόλων Εὐμήδεος υἱός. Eleg. v. v. 5. *Ut cecidi, cunctique meam fugere ruinam,*] In nonnullis: *Ut cecidi, cunctique metu fugere ruinae.* v. 16. *Et singultantis oscula mista sonis:*] Rectius, quod in nonnullis: *Et singultatis.* v. 39. *Quae ducis Emathii fuerit clementia, Pharos, Praeclarique docent funeris exsequiae.*] Et prima brevi est *Pharos*: nec, quid sibi hic velit, scio. rectius in nonnullis *Porrus*. ac de *Alexandro Macedone* intelligendum; qui & devicto *Porro* non pepercit solum, sed & regnum restituit: & defuncto *Dario* praeclarissimas exsequias celebravit. v. 50. *Peccatumque oculos est habuisse meos.*] *Meum* in nonnullis, rectius.

Eleg. xiv. v. 5. *Suscipis exceptis ecquid mea carmina solis*] *Colligis*, in nonnullis.

EX QUARTO TRISTIUM.

ELEGIA I.

v. 97. *Corque vetusta meum, tamquam nova, vulnera norit.*] Rectius in quibusdam, *sentit.*

Eleg. ii. v. 68. *Auribus hic fructus praecipiendus erit.*] *Percipiendus*, in nonnullis, rectius.

EX QUINTO TRISTIUM.

Eleg. ii. v. 52. *Sic ad pacta tibi sidera tardus eas.*] In quibusdam, *parta*. utrumque recte.

Eleg. iii.

Eleg. iii. v. 35. *Fer, bone Liber, opem: sic altera degravet ulmum*] Sic in pluribus : & recte . sunt tamen, qui malint: *sic altam degravet ulmum*. quod & in nonnullis legitur. Eleg. vi. v. 23. *Non adeo totis fatis urgemur iniquis*,] *Toti* fortasse legendum.

v. 35. *Elige nostrorum minimum, minimumque laborum*.] In nonnullis : *minimum de parte laborum* ; & fortasse rectius. Eleg. ix. v. 25. *Nunc quoque, quamvis est jam jussa quiescere, quin te*] Legendum ex veteribus : *Nunc quoque se, quamvis est jussa quiescere*.

Eleg. xi. v. 26. *Teque velint sine se comprecor esse Deum*.] Multo rectius vetus lectio: *esse diu*.

EX PRIMO DE PONTO.

Elegia ii.

v. 89. *Ira viri mitis non me misisset in istam*] In nonnullis: *Dei mitis*. Eleg. iv. v. 36. *Quae tulit Aesoniden, firma carina fuit*.] In nonnullis: *sacra carina fuit*.

v. 37. *Nec mihi Typhis erat rector ; nec Amyntore natus Quas fugerem docuit, quas sequererque vias*.] In quibusdam: *nec Agenore natus*, & recte: ut *Phineus* scilicet intelligatur, qui, quum vates esset, omnia *Argonautas*, quae illis agenda essent, docuit. fuit autem *Phineus*, *Apollonio Rhodio* , & *Valerio Flacco* auctoribus, *Agenoris* filius. quamvis alii (ut *Apollonii Interpres* ait) ex *Phenice Agenoris* filio , & *Cassiepia* genitos dicant , *Cilicem*, *Phinea*, & *Doriclum*. Eleg. v. v. 20. *Ut sub judicium singula verba vocem* .] In nonnullis : *Et sub judicium*. Eleg. vi. v. 10. *Quam finit officium, militiaeque labor*.] Fortasse legendum : *Quum finit*.

EX SECUNDO DE PONTO.

Elegia i.

v. 40. *Armaque cum telis instrue juncta suis.*] *Instrue mista suis:* in nonnullis. v. 43. *Totque tulisse duces captivos addita collis*] *Captivis* in nonnullis, rectius.

v. 49. *Pertulit huc idem nobis, Germanice, rumor,*] *Hic idem*, in nonnullis, rectius. v. 50. *Oppida sub titulo nominis esse tui.*] In nonnullis, *isse tui*, & rectius.

Eleg. v. v. 19. *Tu tamen hic structos inter fera praelia versus*] *Scriptos* in nonnullis. v. 32. *Caetera materia debilitante jacent.*] Rectius in nonnullis, *debilitata*.

Eleg. viii. v. 54. *Exit, & auxilium non leve vultus habet.*] Quum in omnibus *vulnus*, nos *vultus* putavimus legendum. Eleg. ix. v. 75. *Et quid praeterea peccarim.*] *Ecquid* in nonnullis. Eleg. x. v. 22. *Trinacris est oculis te duce visa meis.*] In nonnullis: *Trinacria est oculis.*

EX TERTIO DE PONTO.

Elegia ii.

v. 57. *Sacrifici genus est.*] In nonnullis: *Hoc sacri genus est.* v. 88. *Caetera pars concors, & sine lite fuit.*] multo rectius *par concors*, ut apud *Ciceronem* in *Libro de Amicitia: vix tria, aut quatuor nominantur paria amicorum.* *Caetera* autem eo modo dictum, quo apud *Virgilium*: *caetera Grajus.* Eleg. iii. v. 84. *Et veniet votis mollior aura tuis.*] *Hora* in quibusdam.

Eleg. iv. v. 89. *Irrita votorum non sunt praesagia vatum.*] *Verorum* ex veteribus legendum.

v. 109. *Barbara jam capti poscunt insignia reges.*] In nonnullis, *ponant insignia.* Sed & in quibusdam, *capiti,*

piti, non *capti*. Eleg. vi. v. 53. *Turpe erit ambobus, longo mihi proximus usu*,] *Cognitus*, non *proximus*, in nonnullis. Eleg. ix. v. 21. *Scribentem juvat ipse labor: minuitque dolorem*.] In nonnullis: *ipse furor, minuitque laborem*.

EX QUARTO DE PONTO.

ELEGIA I.

v. 15. *Viderit ad summum, dixi*.] *Ad summam*, in nonnullis. Eleg. ix. v. 128. *Caesar: & est oculis subdita terra tuis*.] Legendum ex veteribus: *ut est oculis*.

v. 131. *Perveniunt istuc & carmina forsitan illa*,] *Perveniant*, in nonnullis. Eleg. x. v. 73. *Quemque refers, imitere virum: vetat iste profecto*,] Rectius, *ille*, in nonnullis. v. 81. *Sed praestandus amor, res non onerosa volenti*.] *Operosa*, in nonnullis. v. 83. *Haec tibi qui praestas*.] In nonnullis, *perstas*.

Eleg. xii. v. 11. *Et potes in versum Tuticani more venire*.] In nonnullis: *Nec potes in versum*.

Eleg. xv. v. 42. *Meque tuum libra norit, & aere magis*.] In nonnullis, *minus*.

EX LIBELLO IN IBIM.

v. 30. *Quam licet, & misero debitus hostis ero*.] In nonnullis: *Quod licet & misero*. in aliis: *Quod licet hei misero*. v. 36. *Quam vetus accensa separat ira pyra*.] In veteribus: *Quem vetus*. v. 185. *Altera Tartareis sectos dabit unguibus artus*.] *Anguibus*, non *unguibus*, in veteribus. v. 245. *Et ne longa suae praesagia diceret horae*,] Rectius in veteribus: *suo praesagia diceret ore*.

v. 257. *Quique ab equo praeceps alienis decidit arvis*.] Nonnulli *ex Homero* legunt: *in Aleis decidit arvis*.

mihi

mihi & prior videtur recta. v. 348. *Tessimanique patri, Calligonesque viro.*] Quidam: *Tisamenique patri, Callirhoësque viro.* ac de *Alcmaeone* intelligunt.

v. 439. *Utque ferox Phalaris, lingua prius ense resecta,*] *Ore resecta*, in veteribus. v. 470. *Ut satus Hippomoo*] Quidam, *Hipponoo*. v. 545. *Et puer Harpagidae*] *Ut puer*, in nonnullis. v. 609. *Utque Milo, robur deducere fissile tentes.*] *Diducere* legendum.

EX EPISTOLA AD LIVIAM.

v. 115. *Erumpunt, iterumque gravant, gemitumque, sinusque*] *Gremiumque, sinusque*: ex veteribus legendum.

v. 119. *Tandem ubi per lacrimas licuit, sed flebilis orsa est.*] In veteribus rectius: *sic flebilis orsa est.*

v. 170. *Inter quaeque ruit ponere certus erat.*] Rectior vetus lectio: *Inter quaeque ruens.* v. 172. *Et Drusum prunae, quod licuitque dedit.*] Legendum, ut in veteribus: *& Drusum patriae.* v. 177. *Consuluit fractis moerentem fascibus urbem.*] Legendum ex veteribus: *Consul init fractis.* v. 207. *Certat onus luctu generosa subire juventus.*] Legendum: *onus lecti.* v. 215. *Quid petiit vult ille, tibi ut sua facta placerent.*] Legendum: *Quod petiit, tulit ille.* v. 218. *Ast pedes exsequias reddit, equesque duci.*] Legendum: *Et pedes.*

v. 221. *Ipse pater flavis Tyberinus adhorruit undis*] *Inhorruit*, ex veteribus legendum. v. 222. *Sustulit e medio nubibus amne caput.*] *Sustulit & medio*, puto legendum. v. 229. *Sustentabat aquas, cursusque inhibebat equorum.*] In nonnullis, *aquarum*. v. 248. *Irrita nec flammas amne morare tuo.*] *Irrite nec flammas*, in veteribus. v. 252. *Strictaque pendenti pumice saxa subit.*] *Structaque pendenti*, legendum ex veteribus.

v. 288.

v. 288. *Nec sua prae templi nomina fronte leget.*] *Pro templi*, ex veteribus legendum. v. 289. *Saepe Nero in lacrimas summissa voce loquetur.*] Legendum: *Saepe Nero illacrimans.* v. 294. *Invenit in tota moeror in urbe locum.*] Legendum: *Invenit tota.* v. 338. *Quod solum domito victor ab hoste tulit.*] *Solus*, in veteribus.

v. 372. *Illa rapit juvenes: sustulit illa senes.*] In veteribus: *sustinet illa senes.* v. 379. *Nata quod es alte*] In veteribus: *Nata quod ex alto.* v. 394. *Semineces oculos sustinuere tibi.*] *Tui*, legendum puto.

v. 404. *Sanctaque & immensi Caesaris icta manus.*] *Domus*, in veteribus, non *manus.* v. 466. *Et merui lacrimas, elicuique Deo.*] *Emerui*, in veteribus.

EX PRIMO METAMORPHOSEON.

v. 244. *Dicta Jovis pars voce probant, stimulosque frementi Adjiciunt.*] In quibusdam, *furenti.*

v. 333. *Caeruleum Tritona vocat, conchaque sonanti*] In nonnullis, *sonaci.* v. 360. *Ferre modo posses? quo consolante dolores?*] In quibusdam, *doleres.* v. 521. *Inventum medicina meum est: opifexque per orbem Dicor.*] Multo rectior vetus lectio: *opiferque per orbem.* quo vocabulo idem *Ovidius* & xv. *Metam.* utitur: *Quum Deus in somnis opifer consistere visus.* v. 580. *Apidanusque senex, lenisque Amphrysus, & Aeas.*] In veteribus omnibus: *Eridanusque senex.* & profecto non solus est ejus nominis in *Italia* fluvius. Sed & *Eridani* cujusdam *Atticae* fluvii *Ilissum* influentis meminit *Pausanias.* mihi tamen, qui *Apidanus* castigarunt, recte videntur castigasse. Quum enim dicat *Ovidius* · *Conveniunt illuc popularia flumina primum:* & *Thessalis* sit fluvius *Peneus* : *Thessaliae* sunt profecto

cto flumina nominanda : non vel ignobiles *Atticae* rivuli conquirendi. *Apidanus* autem accepto ad *Pharsalon Enipeo* in *Peneum* illabitur : ut *Strabo*.

v. 742. *Ungulaque in quinos dilapsa absumitur ungues*.] In nonnullis : *diducta absumitur ungues*.

EX SECUNDO METAMORPHOSEON.

v. 189. *Et modo, quos illi fatum contingere non est*,] In nonnullis : *fas tum contingere non est*. mihi *fatum* magis placet. v. 201. *Quae postquam summo tetigere jacentia tergo*.] Recta lectio. Sed & recte nonnulli legunt : *sensere jacentia tergo*. v. 209. *Combustaque nubila fumant*.] In veteribus : *Ambustaque nubila fumant*.

v. 314. *Consternuntur equi :*] Multo in antiquis quibusdam rectius : *Consternantur equi*. v. 326. *Corpora dant tumulo : signant quoque carmine factum*.] Legitur in nonnullis, *saxum*, non *factum*. in aliis, *fatum*. omnia recte. v. 382. *Qualis, quum deficit orbe*] In nonnullis, *orbi*, & fortasse rectius. v. 505. *Arcuit omnipotens*.] *Arguit*, in omnibus. nos *Arcuit* legendum duximus. v. 556. *Servandum dederat, sic inconfessa, quid esset*.]Sic in veteribus. Sed rectius fortasse nonnulli: *sed enim inconfessa*. legitur etiam: *sed non confessa*. v. 636. *Quam quondam Nympha Chariclo Fluminis in rapidi ripis enixa vocavit Ocyrhoën*.] In veteribus *Charicto*. Sed profecto *Chariclo Chironis* uxor fuit, auctore *Pindaro*, atque aliis: ideo nos *Chariclo* castigavimus. v. 680. *Illud erat tempus, quo te pastoria pellis Texit : onusque fuit baculus silvestris olivae : Alterius dispar e septem fistula cannis*.] Sic in pluribus antiquis exemplaribus. ac, si hoc modo legatur; ob id, quod *Alterius* dixit, intelligendum est: unius manus

onus

onus fuisse baculum: alterius fistulam. Sed & in veteribus quibusdam: *onus dextrae baculus silvestris olivae*: quae si probetur lectio, verbum fuit subintelligendum *est*, quod saepius a poëtis praetermittitur. Nonnulli malunt legere: *Alternis dispar e septem fistula cannis*; ut id dicat *Ovidius*: Nunc baculum solitum ferre *Apollinem*, nunc fistulam. V. 702. *Sub illis Montibus, inquit, eunt (& erant sub montibus illis)*] Sic in nonnullis. mihi prior lectio magis placet: *Montibus, inquit, erant*: ut scilicet sequens parenthesis (*& erant sub montibus illis*) sit verbi repetitione venustior.

EX TERTIO METAMORPHOSEON.

V. 37. *Urna dedit sonitum: longo caput extulit antro*] In nonnullis, *longum*. V. 52. *Tegimen direpta leonis Pellis erat*] Rectius in nonnullis: *direpta leoni*.

V. 132. *Exsilii felix.*] Sic in veteribus nonnullis, & recte. Sed & *Exsilio felix* non minus recte.

V. 216. *Et substricta gerens Sicyonius ilia Ladon.*] *Lagon* in nonnullis, quod & *Planudes*. V. 302. *Qua tamen usque potest*] Rectius fortasse in veteribus: *Quo tamen usque potest*. V. 480. *Dumque dolet, summa vestemque reduxit ab ora*:] Quum *summo ab ore* in omnibus; nos ita legendum credidimus. V. 531. *Quis furor, anguigenae proles Mavortia, vestras Attollit mentes? Pentheus ait.*] multo in nonnullis rectius: *Attonuit mentes?* V. 539. *Hac Tyron, ac profugos posuistis sede Penates.*] Sic legendum ex vetustissimis exemplaribus, quum prior lectio *A Tyro, hac profugos*, repugnante syllaba, claudicaret. imitatus est autem *Virgilii* carmen ex primo *Aeneid. Ilium in Italiam portans, victosque Penates*; quoniam alibi *Ovidius*: *Ilion in Tyriam*

transfer felicius urbem. v. 640. *Dextera Naxos erat.*] In nonnullis fortasse rectius: *Dextra Naxos erat.*

v. 689. *Vixque animum firmat Deus, excute, dicens, Corde metum: Chiamque tene.*] In nonnullis: *Diamque tene*, & fortasse rectius. *Naxos* enim, quo jusserat *Bacchus* cursum nautas dirigere, *Dia* etiam, auctore *Stephano*, est dicta. *Planudes* tamen *Chiam*.

v. 723. *Non habet infelix, quae matri brachia tendat.*] Neque in veteribus libris invenitur id carmen, quod ante hoc interponunt nonnulli: &, si maxime inveniretur, expungendum esset, ita subsultat, ita nullius est sensus.

EX QUARTO METAMORPHOSEON.

v. 1. *At non Alcithoë Mineïas*] *Arsinoë* apud *Planudem*, non *Alcithoë*, legitur. v. 53. *Haec placet: haec quoniam vulgaris fabula non est,*] In nonnullis: *Hoc placet.* v. 123. *Scinditur, & tenui stridente foramine longas Ejaculatur aquas.*] Nonnulli: *& tenuis stridente foramine longe.* sed & prior recta. v. 279. *Nec loquar, ut quondam naturae jure novato*] In nonnullis: *Nec loquor.*

v. 311. *Saepe Cytoriaco deducit pectine crines.*] In omnibus, *Cytheriaco*. Sed profecto *Cytoriaco* legendum.

v. 366. *Desinis? aut fugio, tecumque, ait, ista relinquo?*] Nonnulli legunt: *Desine; vel fugio.* mihi prior lectio magis placet. v. 426. *Nil poterit Juno, nisi multos flere dolores?*] Rectius in veteribus: *nisi inultos flere dolores?* v. 474. *Et obstantes rejecit ab ore colubros.*] Rectius in nonnullis, *colubras.* v. 497. *Inspirantque graves animos.*] In nonnullis, *animas.*

v. 537. *Spuma fui: gratumque manet mihi nomen ab illa.*] Rectius in quibusdam: *Grajumque manet.*

v. 627.

v. 627. *Constitit Hesperio regis Atlantis in orbe:*] In quibusdam rectius: *regnis Atlantis in orbe.*

v. 724. *Quaque patent, nunc terga cavis super obsita conchis*] In quibusdam: *Quaque patet.*

EX QUINTO METAMORPHOSEON.

v. 3. *Nec conjugalia festa*] Et *sexto* etiam *Ovidius conjugalia* secunda producta: *Nec mea virginitas, nec conjugalia jura.* & xi. *Nec conjugale solutum est Foedus in alitibus.* & fortasse *conjugialia* sit legendum. Sed vetera omnia exemplaria, *conjugalia.* v. 74. *Ecce Syenites genitus Methione Phorbas,*] In veteribus, *Suenites.* Nos id *u* pro *y* veterum more positum credimus: quin *Syenites* & *Planudes*. *Syenites* autem a *Syene* urbe ductum est: cujus incolas *Syenites* dici ait & *Stephanus*. v. 85. *Inde Semiramio Polydaemona sanguine cretum,*] *Polydegmona Planudes*, non *Polydaemona.*

v. 110. *Amphycus albenti velatus tempora vitta*] Rectius fortasse, *Alphytus*. v. 111. *Tu quoque, Japetide, non hos adhibendus ad usus,*] *Lampetide, Planudes.*

v. 127. *Sed retinente manu moriens, e poste pependit.*] In quibusdam: *Sed retinente manum.* utrumque recte.

v. 135. *Bactreus Alcioneus,*] *Barceus, Planudes.* mihi *Bactreus* placet. v. 147. *Regisque Thoastes Armiger,*] *Choristes, Planudes*, non *Thoastes*. v. 237. *Intrat: &* *immeriti vindex, ultorque parentis*] Quidam *immeritae parentis* legunt. v. 251. *Inde cava circumdata nube Seriphon Deserit, a dextra Cythno, Gyaroque relictis.*] In omnibus *Cypro* legitur. Sed tam longe a *Seripho*, & *Cycladibus* omnibus *Cypros*, ut nullum omnino in hoc versu locum habeat. Ideo nos *Cythno* legendum putavimus: quae una est *Cycladum Seripho* propinqua.

auctore *Strabone*, *Stephano*, & reliquis. Sed & *Planudes* hunc *Ovidii* locum ita interpretatur: Ἐντεῦθεν δὲ κοίλη νεφέλη περιχεθεῖσα τὴν σέριφον κατέλιπε, τήν τε κύθνον καὶ γύαρον δεξιὰς ἀφεῖσα, ὅθεν συντομωτάτη ὁδὸς ἔδοξεν ὑπὲρ τὴν θάλασσαν ἰοῦση, τάς τε θήβας καὶ τὴν παρθενικὸν ἑλικῶνα ζητεῖ.

286. *Fusca repurgato fugiebant nubila caelo.*] In quibusdam fortasse rectius: *Fusa repurgato.* V. 363. *Depositoque metu videt hunc Erycina vagantem Monte suo residens: natumque amplexa volucrem,*] Multo rectius, quod & in nonnullis legitur: & e *Planude* etiam colligitur: *Deposuitque metum. videt hunc Erycina vagantem Monte suo residens, natumque amplexa volucrem.*

V. 370. *Ipsumque, regit qui numina terrae.*] Fortasse rectius id, quod nonnulli legunt: *Ipsumque, regit qui numina ponti.* V. 445. *Solis ab occasu, solis quaerebat ad ortus.*] In nonnullis: *Solis ad occasus.*

V. 459. *Mirantem, flentemque, & tangere monstra paventem*] *Parantem* in quibusdam, non *paventem.*

V. 481. *Fertilitas terrae latum vulgata per orbem*] In nonnullis: *totum vulgata per orbem.* V. 541. *Ex Acheronte suo furvis peperisse sub antris.*] In nonnullis: *silvis peperisse sub atris.* V. 598. *Territaque insisto propioris margine fontis.*] *Ripae* in quibusdam, non *fontis*, & rectius. V. 616. *Sed certe sonituque pedum terrebat:*] In quibusdam: *sonitusque pedum terrebat.* in aliis: *sonituque pedum terrebar.* omnia recte.

V. 675. *Plangere dumque volunt,*] In quibusdam fortasse rectius: *Dumque volunt plangi.*

EX SEXTO METAMORPHOSEON.

V. 77. *Exsiluisse fretum: quo pignore vendicet urbem.*] Sic in nonnullis, & recte legitur. dicitur enim in fa-

fabulis, quum certaret cum *Pallade Neptunus* de *Athenarum* nomine, percusso a *Neptuno* scopulo, mare subito exstitisse. Sed & equum a *Neptuno* eo pacto editum illo in certamine, non minus est reperire. ideo prior etiam lectio recta: *Exsiluisse ferum. ferum* autem equum dici satis sit nobis *Virgilii* auctoritas: *In latus, inque feri curvam compagibus alvum.*

V. 189. *Exsul erat mundi.*] In quibusdam, *mundo.*

V. 203. *Quodque licet, tacito venerantur murmure numen Latonae. turba quantum distabat ab orba, Indignata Dea est.*] Uti id fortasse sit rectius, quod in quibusdam: *Latonae turbae.* ut sit *turbae venerantur*; sic ex iis, quae sequuntur, procul dubio sensus, qui placeat, elici nullus potest. Legitur in nonnullis: *quae quantum distat.* in aliis: *quae quam distabat.* ego, quoquo modo legatur, aliud quid desidero. est & exemplaria invenire, in quibus hoc insertum sit carmen: *Tantum animosa sui furiis agitata doloris Indignata Dea est.* hoc vero, ut rude, & minime *Ovidio* dignum est, ita audacter excludi debet.

V. 223. *Terga premunt: auro gravidis moderantur habenis.*] Quidam legunt: *gravidisque auro moderantur habenis.* Sed multo mea sententia rectius in veteribus nonnullis legitur: *auroque graves moderantur habenas.* V. 320. *Vidi praesens stagnumque, locumque.*] In quibusdam, *lacumque.* V. 332. *Illa suam vocat hanc, cui quondam regia conjux Orbem interdixit,*] In nonnullis, *regia Juno.* Sed & *regia conjux* non minus recte. id, quod sequitur in nonnullis, fortasse rectius: *Orbe interdixit.* V. 333. *Quam vix erratica Delos Orantem accepit.*] Rectius in quibusdam: *Errantem accepit.* ut superius: *Tu terris erras, ego, dixit, in undis.*

V. 341.

v. 341. *Sidereo siccata sitim collegit ab aestu.*] In quibusdam, *concepit*. v. 406. *Concolor huic humerus nascendi tempore dextro, Corporeusque fuit.*] Multo rectius in quibusdam: *hic humerus*. v. 489. *Hinc placido dantur sua corpora somno.*] Nonnulli, *tradunt*.

v. 600. *Attonitamque trahens intra sua moenia ducit.*] Alii, *limina*. v. 617. *Abstulerant, ferro rapiam.*] Fortasse rectius sit, *Abstulerunt*. ut apud *Virgilium: Steteruntque comae.* &: *Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.* v. 677. *Sceptra loci, rerumque capit moderamen Erechtheus.*] In quibusdam: *regnique capit*.

v. 706. *Orithyam adamans fulvis complectitur alis.*] In veteribus prope omnibus, rectius: *Orithyan amans fulvis amplectitur alis*.

EX SEPTIMO METAMORPHOSEON.

v. 56. *Magna sequar: titulum servatae pubis Achivae,*] Sic in nonnullis. Sed & *puppis Achivae*, quod in quibusdam, legi recte potest. v. 115. *Diriguere metu Minyae, subit ille: nec ignes Sensit anhelatos.*] Sic in veteribus. praeterquam quod non *ignes*, sed *illos*, aut *ullos*, *sensit anhelatos*, aut *anhelatus*, aut *anhelantes*. Varia enim sunt in hoc exemplaria. sed nos *ignes* legendum putavimus, ut & alibi *Ovidius: Isset anhelatos non praemedicatus in ignes.* v. 170. *Dissimilemque animum subiit pater Aeta relictus.*] In nonnullis: *subiit Aeeta relictus*. v. 177. *Non annis renovare tuis,*] In quibusdam, *revocare*. v. 183. *Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos:*] Quidam, *nudis humeris*.

v. 186. *Nullo cum murmure serpens Sopitae similis nullo cum murmure serpit: Immotaeque silent frondes:*] Nullus, si hoc pacto legantur, est horum carminum sen-

ſenſus. atque ideo recta ſint fortaſſe nonnulla exemplaria, in quibus, medio excluſo carmine: *Nullo cum murmure ſepes, Immotaeque silent frondes*, legitur. Sed & recte legi poteſt: *Nullo cum murmure ſerpens*, ut ſit, *quies ſerpens nullo cum murmure*. Sequentia vero carmina, ut in veteribus quibuſdam: *Sopitis ſimiles nullo cum murmure ſepes, Immotaeque ſilent frondes.* Quae lectio & e *Planude* colligitur. v. 213. *Cuſtodemque rudem ſomno ſopiſtis:*] Quidam, *rudem ſomni*.

v. 228. *Multa quoque Apidani placuerunt gramina ripis,*] Et hic *Eridani* in omnibus. Sed ego iiſdem rationibus, quae ſuperius *primo libro* adduxi, permotus, quod ſcilicet hic etiam *Theſſaliae* loca, & flumina ab *Ovidio* percenſeantur: inter quae non magis ſit *Attico*, quam *Gallico Eridano* locus: eos, qui *Apidani* caſtigarunt, ſecutus ſum. Idque eo libentius feci, quod *Planudes* etiam, qui in *primo*, ubi idem error, cum caeteris erraverat, hic meliora videtur ſecutus exemplaria. Sic enim hoc carmen interpretatur: πολλαὶ δ᾽ αὐτῇ κ᾽ ἂν ταῖς ὄχθαις τοῦ ἀπιδανοῦ ἤρεσαν.

v. 293. *Ante quaterdenos hunc ſe reminiſcitur annos.*] Quum in omnibus, *nunc ſe reminiſcitur*, nos *hunc ſe* legendum credidimus. quam lectionem & *Planudes* ſecutus eſt. quod vero ſequebatur carmen, quod in pluribus id antiquis exemplaribus non invenitur, & ſuperfluere videtur: expungendum duximus.

v. 343. *Ille cruore fluens ſubito tamen allevat artus:*] *Cubito*, non *ſubito*, ex veteribus legendum.

v. 375. *Et ſtricto toties iratus amore.*] *Spreto* in nonnullis. v. 464. *Florentemque Cythnon, Scyron, planamque Seriphon,*] In omnibus: *Florentemque Tyron, Cypron, planamque Seriphon*. Nos neutrum probamus. *Cypron*,

&

& *Tyron*, quae longissime absunt a *Cycladibus*, legi nullo pacto potest. uti tamen *Cypron* e *Cythno* depravatum, ut alio etiam in loco superius diximus, prope affirmaverim: ita non ausim *Cythnon* prima correpta loco *Tyri* ponere, & *Scyron*, ubi *Cypron* substituere. ac, mea quidem sententia, *Cythnon*, *planamque Seriphon*, recte legatur. quid vero *Tyri* loco sit reponendum, quaerant alii. V. 509. *Ducite, & omnis eat. rerum status iste mearum.*] In pluribus, *Dicite*, non *Ducite*. Quin & melius fortasse dividatur carmen, quo pacto *Planudes*: *Dicite, & omnis eat rerum status iste mearum.* V. 564. *In partem leti citius venit, atque salutis.*] Aliter in quibusdam, & fortasse rectius: *Utque salutis Spes abiit: finemque vident in funere morbi: Indulgent animis.* V. 616. *Isse sub amplexus Asopidos Aeginae*:] Sic nos legendum putavimus, atque id ex veteribus quibusdam collegimus. ut dividatur scilicet diphthongus, ut apud *Virgilium*: *Neptuno Aëgeo.* V. 636. *Et rami totidem, totidemque animalia ramis*] Rectius in quibusdam: *Et ramos totidem.*

V. 764. *Cessit & exitio multis: pecorique, sibique Ruricolae pavere feram.*] Sic in veteribus multis. sed fortasse rectius sit, quod in quibusdam: *Cessit & exitio multis pecorumque, suumque.* ut sit *multis pecorum, & suum.* quam lectionem & *Planudes* agnoscit, sic hoc carmen interpretatus: καὶ πολλοῖς εἰς ὄλεθρον προβάτων καὶ χοίρων γέγονεν. quod vero sequitur, *Ruricolae pavere feram*: in nonnullis, *Rurigenae*. *Planudes*, *Indigenae*. qui sic interpretatur: ἔδεισαν δὲ καὶ οἱ ἰθαγενεῖς τὸ θηρίον. quod fortasse sit rectius. sequitur enim, *vicina juventus*.

EX

EX OCTAVO METAMORPHOSEON.

V. 123. *Generis falsa est ea fabula : verum Et ferus, & captus nullius amore juvencae,*] In nonnullis, *verus,* non *verum*; mihi *verum* magis placet.

V. 286. *Stantque, velut vallum, velut alta hastilia, setae.*] Legitur in nonnullis & alterum ejusdem sententiae carmen: *Et setae rigidis similes hastilibus horrent.* Atque utrumque mea sententia *Ovidii* est. quum tamen alterum repudiandum sit: proximum hemistichion, *riget horrida cervix,* in caussa fuit, ut hoc excluderemus. V. 301. *Tyndaridae gemini, praestantes cestibus alter*] In nonnullis: *spectatus cestibus alter.*

V. 317. *Nemorisque decus Tegeaea Lycei.*] Quod post hoc sequebatur, carmen: *Venit Atalanta Schoenei pulcherrima virgo*; tum, quia in veteribus non invenitur, tum, quod & syllabis claudicat, & rude, ac nihili est; rejiciendum duximus. V. 339. *Ut excussis elisus nubibus ignis.*] In quibusdam: *elisi ignes.*

V. 356. *Emicat ex oculis : spirat quoque pectore flammas.*] In quibusdam, *flamma.* V. 371. *Orithyae magni rostro femur hausit adunco.*] *Orichiae,* in nonnullis. *Planudes, Orityae.* V. 584. *A silvis silvas, & ab arvis arva revulsi.*] *Revelli,* in quibusdam, & recte.

V. 621. *Medio circumdata muro.*] Quidam *modico* legunt, non *medio.* V. 635. *Nec refert, dominos illic, famulosne requiras*] *Famulosve,* in quibusdam.

V. 670. *Quae cava sunt flaventibus illita ceris.*] In nonnullis : *Qua cava sunt.* V. 853. *Vultumque virilem Induit, & vultus pisces capientibus aptos.*] Legendum ex veteribus, *cultus,* non *vultus.*

EX NONO METAMORPHOSEON.

v. 49. *Nescia, quem maneat tanti victoria regni.*] In nonnullis, *belli*, non *regni*. v. 98. *Hunc tamen ablati domuit jactura decoris.*] In nonnullis: *Hunc tantum*, & fortasse rectius. v. 197. *His elisa jacet moles Nemeaea lacertis:*] Quod post hoc legebatur, carmen: *His Cacus horrendum Tyberino in litore monstrum*, quod & syllaba repugnat: & in plurimis antiquis exemplaribus non invenitur: ideo nos repudiandum arbitrati sumus. Sunt tamen, qui malint retinere: sed corrigant. Quidam: *His jacet horrendum*. quidam: *Cacus & horrendum*. v. 151. *Jugulata pellice testor?*] fortasse sit rectius *tester*. Superius enim, *memorem*. Sed & *testor* recte. v. 347. *Lotos in hanc Nymphe fugiens obscoena Priapi*,] *Lotis* fortasse legendum sit. *Lotis* enim, non *Lotos*, dicta *Nympha* illa, quae in lotum versa est. v. 492. *Hei mihi, quae male sum, quos tu, sortita parentes.*] Rectius in veteribus: *Et mihi*, non *Hei mihi*.

v. 646. *Quoque Chimaera jugo mediis in partibus ignem, Pectus & ora leae, caudam serpentis habebat.*] Male, qui *hircum*, non *ignem*. fortasse *ingens* legendum; ut sit *ingens pectus*, atque id dicat *Ovidius*, quod *Lucretius* eo versu: *Prima Leo, postrema Draco, media ipsa Chimaera.*

v. 690. *Sanctaque Bubastis, variisque coloribus Apis.*] In nonnullis: *variusque coloribus Apis*. v. 748. *Spes est, quae capiat, spes est, quae pascat amorem.*] In nonnullis, *amantem*.

EX X. METAMORPHOSEON.

v. 215. *Ipse suos gemitus foliis inscripsit: & ai ai Flos habet inscriptum, funestaque litera ducta est.*] In veteribus

bus multis, *&* *ya*: quam lectionem sunt, qui probent: ego non video, cur probare debeam; quum nullo pacto *Ajacis* nomen his literis describi possit: quod in eodem flore factum & hic, & paulo superius ostendit *Ovidius*, quum inquit: *Tempus & illud erit, quo se fortissimus heros Addat in hunc florem: folioque legatur eodem*. & *XII. Litera communis mediis pueroque, viroque Inscripta est foliis: haec nominis, illa querelae*. Querelae dicunt quidam *ya* esse posse. nominis, non video, quomodo esse possit, quum *Ajacis* tamen nomen designandum sit. Ideo illi mihi recte sentire videntur, qui *& ai ai* legunt; *ai* enim & querelae est, & *Ajacis* nomen innuit. Quin *Planudes* sic interpretatur: καὶ αἶ αἶ τὸ ἄνθος ἔχει δὴ γεγραμμένον. & tamen fortasse sit rectius *ai* non repetere, sed diphthongum dividere, quod saepius a poëtis fit: & *Latinorum* morem sequi, apud quos *aï* est bissyllabum, quod & in ipso hoc *Ajacis* nomine licet cognoscere.

v. 418. *Et officium commisso spondet amori*.] Nonnulli: *At officium*.

EX XI. METAMORPHOSEON.

v. 37. *Quae postquam rapuere ferae, cornuque minaci Divulsere boves*.] In nonnullis: *cornuque minaces*; utrumque recte. v. 317. *Carmine vocali clarus, citharaque Phylammon*.] Hujus *Phylammonis* fit ab *Apollonii Interprete* mentio: qui ait, *Pherecydem* dixisse, non *Orphea* cum *Argonautis*, sed *Phylammonem* navigasse. hunc vero ait *Suidas*, fuisse *Thamyrae Thracis* patrem.

v. 673. *Gestumque manus Ceycis habebat*.] *Planudes*: *Sceptrumque manus Ceycis habebat*. v. 674. *Ingemit Halcyone: lacrimas movet, atque lacertos*.] Fortasse legen-

dum sit: *Ingemit Halcyone lacrimans, movet atque lacertos.* V. 763. *Fertur Alixirhoë*] *Alixothoë, Planudes.*

V. 769. *Prospicit Hesperien patria Cebrenida ripa,*] *Eperien* in omnibus. quin & *Planudes*, ἠπερίην.

EX XII. METAMORPHOSEON.

V. 236. *Quem vastum vastior ipso*] In nonnullis, *ipse.*

V. 526. *Quae mihi tunc primum, tunc est conspecta supremum.*] In quibusdam: *Quae mihi tunc primum fuerat conspecta volucris.* Sed & prior recta. ait enim inferius: *sed avis nunc unica, Caeneu.* V. 592. *Quum tamen ille ferox,*] In nonnullis: *Cur tamen.* in aliis: *Et tamen.* V. 622. *Non ea Tydides, non audet Oileus Ajax.*] Si *Oileus* legatur, sumendum est pro *Oilejus.* quidam malunt *Oileos*, ut intelligatur *filius.*

EX XIII. METAMORPHOSEON.

V. 19. *Iste tulit pretium.*] In quibusdam, *Ipse.*

V. 51. (*Heu pars una ducum*)] Sic in omnibus. Sed fortasse sit rectius: *Et pars una ducum.* V. 53. *Velaturque, aliturque avibus.*] In quibusdam: *Venaturque, aliturque.* V. 368. *Tantum ego te supero.*] In nonnullis: *Tanto ego te supero.* V. 518. *Quo, Dii crudeles, nisi uti nova funera cernam?*] In quibusdam: *nisi quo nova funera.* V. 562. *Expellitque genis oculos.*] In nonnullis: *Expilatque genis.* utrumque recte.

V. 610. *Terque rogum lustrant: & consonus exit in auras Ter plangor.*] In nonnullis: *tum consonus exit in auras.* V. 707. *Ferre diu nequiere luem:*] Sic in quibusdam, ut *Virgiliano* utatur verbo, qui de eadem pestilentia: *Arboribusque, satisque lues, & letifer annus.* in non-

nonnullis tamen, *Jovem*, non *luem*. v. 713. *Praetereunt vecti:*] In quibusdam: *Praeter erant vecti*.

v. 956. *Hactenus acta tibi possum memoranda referre,*] Legitur & *miranda*.

EX XIV. METAMORPHOSEON.

v. 6. *Navifragumque fretum,*] In vetustis: *Naüfragumque fretum*. ut tamen quadrisyllabum sit, veluti & id *Virgilianum: & naüfragum Scyllacaeum*.

v. 87. *Acheloidumque relinquit Sirenum scopulos,*] Profecto penultima *Acheloidum* syllaba brevis est. ideo fortasse *Acheloïadum* sit legendum. v. 324. *Nec adhuc spectasse tot annos Quinquennem poterat Graja quater edere pugna.*] In nonnullis: *Grajam pugnam*. Sed licet aperte, quid sibi hic *Ovidius* velit, intelligatur: confusus tamen verborum ordo, & sibi non quadrans, aliquid facit ut desideremus. v. 612. *Clarus subit Alba Latino.*] In omnibus: *Clarus subit ecce Latino*. Sed profecto *Alba Latino* successit. ideo nos *Alba*, non *ecce*, legendum putavimus. v. 622. *Jamque Palatinae summam Proca gentis habebat.*] Quamvis in omnibus: *Jamque Palatinus summae loca gentis habebat*; quia tamen nusquam legitur, *Palatinum Albae* regnasse: qui hoc carmen ita castigarunt, recte mihi sensisse visi sunt. v. 724. *Non tamen ante mihi curam excessisse memento,*] In quibusdam: *Non tamen ante tui*. v. 777. *Dignam animam poena congestis exuit armis.*] In nonnullis, *edidit*. v. 803. (*Nam memoro, memorique animo pia verba notavi*)] In quibusdam: *tua verba*.

EX

EX XV. METAMORPHOSEON.

v. 150. *Palantesque homines passim rationis egentes,*] In nonnullis: *ac rationis egentes.* in aliis: *ac ratione carentes.* mihi, *ac*, videtur superfluere. v. 274. *Alioque renascitur orbe.*] In quibusdam, *ore*.

v. 386. *Armigerumque Jovis, Cythereidasque columbas,*] Fortasse *Cythereiadas* rectius, ne claudicet penultima.

AN-

ANDREAE
NAUGERII
PATRICII VENETI
CARMINA.

ANDREAE NAUGERII
PATRICII VENETI
LUSUS.

I.

Vota Cereri pro terrae frugibus.

ASPICE, magna *Ceres*, tibi quos ſemente peracta
Ducimus agreſtes ruſtica turba, choros.
Tu face, ne nimio ſemen putreſcat ab imbre:
Neu ſulcos rapido frigore rumpat hiems:
Neu ſterilis ſurgat ſilva infelicis avenae:
Et quaecumque bonis frugibus herba nocet:
Neu terrae proſtrata animoſi flatibus *Euri*
Decidat, aut denſa grandine laeſa ſeges.
Neu direpta avidae rapiant frumenta volucres,
Monſtrave, quae terrae plurima ſaepe ferunt.
Sed quae credidimus bene cultis ſemina campis,
Uberius largo foenore reddat ager.
Sic erit. interea nivei carcheſia lactis
Fundite, & annoſo mella liquata mero.
Terque ſatas circum felix eat hoſtia fruges:
Caeſaque mox ſanctos corruat ante focos.
Nunc ſatis haec. poſt meſſem alii reddentur honores:
Et ſacras cingent ſpicea ſerta comas.

I I.

Vota ad Auras.

AURAE, quae levibus percurritis aëra pennis,
  Et ſtrepitis blando per nemora alta ſono:
Serta dat haec vobis, vobis haec ruſticus *Idmon*
  Spargit odorato plena caniſtra croco.
Vos lenite aeſtum, & paleas ſejungite inanes,
  Dum medio fruges ventilat ille die.

I I I.

Vota Jolae Pani agreſti Deo.

ILLE tuus, *Pan* montivage, venator *Iolas*
  Suetus in audaces cominus ire feras:
A quo & adhuc rictuſque ſuum, exuviaſque leonum
  Sacra tibi agreſtis munera pinus habet:
Nunc jam annis gravis haec devicti cornua cervi
  Dedicat, imbelli congrua dona ſeni.
Quum tamen *Herculeae* facta inter fortia *clavae*
  Is quoque ſit laudem viſus habere labor:
Tu, Dive, haec inter viridis decora illa juventae
  Suſcipe: neve illis eſſe minora puta.

I V.

Vota Damidis ad Bacchum pro vite.

HANC vitem, multa quae ſemper fertilis uva
  Haud umquam domini fallere vota ſolet:
Nunc etiam large florentem conſecrat ipſe
  Vineti cultor *Damis*, *Iacche*, tibi.
Tu face, Dive, tua haec ſpem non fruſtretur: & hujus
  Exemplo fructum vinea tota ferat.

V.

V.

Lyconis vota Pani Deo.

LONGIUS a pecore errantem per devia taurum
Dum ſequitur nemorum per juga longa *Lycon*,
Errantem ſcopulo capream conſpexit ab alto:
Continuo certo dejicit hanc jaculo.
Mox etiam catulos ſola ſub rupe jacentes
Invenit: hos *Crocali* donat habere ſuae.
E caprea in viridi ſtatuit convivia luco:
Addidit & veteris pocula multa meri.
Quod reliquum eſt, *Pan* ſemicaper, cum cornibus ipſis
Suſpenſum e pinu hac tu tibi tergus habe.

VI.

Thyrſidis vota Veneri.

QUOD tulit optata tandem de *Leucade Thyrſis*
Fructum aliquem, has violas dat tibi, ſancta *Venus*.
Poſt ſepem hanc ſenſim obrepens, tria baſia ſumſi:
Nil ultra potui, nam prope mater erat.
Nunc violas; ſed plena feram ſi vota, dicabo
Inſcriptam hoc myrtum carmine, Diva, tibi:
HANC. VENERI. MYRTVM. THYRSIS. QVOD. AMORE. POTITVS
DEDICAT. ATQVE. VNA. SEQVE. SVOSQVE. GREGES

VII.

Thyrſidis vota & quercui, & ſilvae.

ET quercum, & ſilvam hanc ante omnia *Thyrſis* amabit:
Et certo feret his annua vota die:
Dum poterit memor eſſe, quod hac primum ille ſub umbra
Ultima de cara *Leucade* vota tulit.

VIII.

Augonis venatici canis Epitaphium.

VENATOR celerem moerens *Augona Melampus*
  Confoſſum rapido dente ferocis apri,
Hac illi in ripa tumulum, frondente ſub umbra,
  Erigit: hoc ipſo concidit ille loco.
Non impune quidem praedo ſceleratus abivit:
  Procubuit jaculis caeſus, & ore canum.
Tu tamen e cunctis canibus praeſtantior, *Augon*,
  Fide *Augon*, ſilvis qui modo terror eras:
Tu, dilecte, jaces. ſed ab alta hac faſcia pinu,
  Millusque, & millo vincula juncta ſuo:
Quin deciſa feri cervix tibi pendeat hoſtis:
  Sintque una ex animo ſigna dolentis heri.

IX.

Invitatio ad amoenum fontem.

ET gelidus fons eſt: & nulla ſalubrior unda:
  Et molli circum gramine terra viret:
Et ramis arcent ſoles frondentibus alni:
  Et levis in nullo gratior aura loco eſt:
Et medio *Titan* nunc ardentiſſimus axe eſt:
  Exuſtusque gravi ſidere fervet ager.
Siſte, viator, iter: nimio jam torridus aeſtu es:
  Jam nequeunt laſſi longius ire pedes.
Accubitu languorem, aeſtum aura, umbraque virenti,
  Perſpicuo poteris fonte levare ſitim.

X.

De obitu Hylacis Canis paſtorii.

ANTE canes omnes paſtori carus *Amyntae*
  Nuper ab *Illyrico* litore miſſus *Hylax*,

Dum

Dum solitas agit excubias, & septa tuetur:
Nec vigilant socii caetera turba canes:
Qua rapidus sese media inter saxa *Timavus*
Mergit, & inde iterum prosilit amne novo,
Ille quidem saeva vitulos tutatus ab ursa est,
Ipse sed ingenti vulnere caesus obit.
Constituit viridi tumulum de cespite *Amyntas:*
Haec voluit raram praemia habere fidem.
Moesta gemunt armenta : mali furesque , lupique
Exstincto hoc sibi jam cuncta licere putant.

XI.

Vota Thelesonis Cereri , Baccho , & Pali Deae.

DAT *Cereri* has *Thelesοn* spicas, haec serta *Lyaeo*,
Haec nivei lactis pocula bina *Pali*.
Pro quibus arva *Ceres*, vites fecundet *Iacchus:*
Sufficiat pecori pabula laeta *Pales*.

XII.

Leucippem amicam spe praemiorum invitat.

QUUM primum clauso pecus emittetur ovili,
Urbs, mea *Leucippe*, cras adeunda mihi est.
Huc ego venalemque agnum , centumque , *Chariclo*
Ipsa mihi mater quae dedit, ova fero.
Afferri tibi vis croceos, niveosve cothurnos?
Anne colum, qualem nata *Lyconis* habet?
Ipse feram, quae grata tibi. tu basia junge:
Gaudia, *Leucippe*, nec mihi grata nega.
Cras, ubi nox aderit, odiosae elabere matri:
Hasque inter corylos ad tua dona veni.

XIII.

XIII.

Vota Veneri, ut amantibus faveat.

ILLI in amore pares, vicini cultor agelli
  Thyrsis, cumque suo *Thyrside* fida *Nape*,
Ponimus hos tibi, *Cypri*, immortales amaranthos,
  Liliaque in sacras serta parata comas.
Scilicet, exemplo hoc, nullo delebilis aevo
  Floreat aeternum fac, Dea, noster amor.
Sit purus, talisque utriusque in pectore candor,
  In foliis qualem lilia cana ferunt.
Utque duo hi flores serto nectuntur in uno,
  Sic animos nectat una catena duos.

XIV.

Vota Niconoës ad Dianam.

CANDIDA *Niconoë*, viduae spes una *Terillae*,
  Montivagas jaculo figere certa feras,
Hunc tibi, silvipotens, arcum, *Latonia*, ponit,
  Atque haec in pharetra condita tela sua.
Illam cara parens tenero sociavit *Icasto*:
  Ignotique jubet jura subire tori.
Tu, Dea, si silvis aegre discedit ab altis:
  Si lacrimans coetus deserit illa tuos:
Tu bona sis, felixque illi: tu numine dextro
  Optata laetam fac, Dea, prole domum.

XV.

Vota pro vite Baccho, & Satyris.

QUAE duo fert collis fecundi vinitor *Acmon*
  Expressi primum cymbia plena meri:
Haec avidis musti *Satyris*, mustique Parenti
Dat,

Dat, jucunde, tibi vitis, *Iacche*, ſator.
Illi illaeſa ſuis linquant vineta rapinis:
Tu tua fac largis auctibus uva fluat.

XVI.

Vota Acmonis Vulcano.

HAs, *Vulcane*, dicat *ſilvas* tibi villicus *Acmon:*
Tu ſacris illas ignibus ure, pater.
Creſcebant ducta e *Statii* propagine *ſilvis:*
Jamque erat ipſa bonis frugibus umbra nocens.
Ure ſimul *ſilvas:* terra ſimul igne ſoluta
Fertilior largo foenore meſſis eat.
Ure iſtas: *Phrygio* nuper mihi conſita colle
Fac, pater, a flammis tuta ſit illa tuis.

XVII.

Defectio Euphronis a Pallade ad Venerem.

JAm telas, calathoſque, omneſque peroſa labores,
Quos vitae quaeſtus pauperioris habet,
Palladio radium quum templo appenderet *Euphro*,
Jamque ſequi *Venerem* conſtituiſſet, ait:
Hactenus o mihi culta, vale, Dea; & haec tua multi
Inſtrumenta tibi plena laboris habe.
Jam tua perpeſſam dudum mala lenis habebit,
Adjungetque ſuo me *Cytherea* choro.
Nec mirum, quam praetulerit *Phryx* arbiter, a me
Si praelata tibi nunc quoque *Cypris* erit.

XVIII.

In Almonem Alcippes faſtidio mortuum.

DUm furit *Alcippes* forma *Nonacrius Almo*,
Crudeli demum tabe pereſus obit.

Almo

Almo capripedi non impar arundine *Pani*,
Quo nullus *Nymphis* gratior *Arcas* erat.
Spargite odorato, paſtores, flore ſepulcrum:
Et ſimul infuſum lacque, merumque fluat.
Non jacet ille ſub hac (ut vos male creditis) ulmo:
In nemus *Idalium* tranſtulit alma *Venus*.
Hic *Veneris* paſcitque greges, cantatque: canentis
Una adſtant *Charites* verſibus, adſtat *Amor*.
Quin etiam hunc *Paphii Nymphe* non ultima coetus
Deperit: & parilis fervor utrumque tenet.
Nimirum felix *Almo*: modo perfida virgo
Aſpera ſaevitiae det documenta ſuae.
Paſtoris pereat ſuccenſa informis amore:
Reſpuat aſſiduas ſurdior ille preces.
Praebeat hinc ſaevis tam dura exempla puellis;
Formoſa ut faſtus diſcat habere modum.

XIX.

A C O N.

CANDIDA *Nympha* olim, & *Pani* dilecta *Lyceo*
Crinibus, & culto conſpicienda ſinu:
Nunc vox, flebilibus quae ſemper moeſta querelis
Deſertos ſcopulos, deviaque antra colis:
Salve, *Echo* officioſa. tibi ſub rupe cavata
Ipſe ego lanigeri ductor *Acon* pecoris
Conſtituam umbroſum frondenti ex ilice lucum:
Molliaque ex hedera ſerta virente feram.
Tu levibus allecta modis ſilveſtris avenae
Excipis e ſummo carmina noſtra jugo.
Tu, quoties querimur, duros miſerata dolores
Neſcio quid triſti flebile voce gemis.
Nec mirum, quod tu lacrimis movearis amantum;
Per-

Perdidit, infelix, te quoque durus Amor.
Ah miſera, ipſa quidem & ſtrophio ſubnectis olenti,
Et longa molles excolis arte comas.
Ipſe puer cultus, ipſe omnes odit amores:
Inſequiturque vagas per juga ſumma feras.
Quin humiles addis voces: & verba precantis
Effugit, atque omnes negligit ille preces.
Siſte gradum, immitis; non te violenta leaena,
Non curvo ſequitur dente timendus aper:
Sed quae candenti facie, niveiſque papillis
Vel magno poſſit *Nympha* placere *Jovi*.
Haec aget & celeres tecum per ſaxa *Lacaenas:*
Eque ſuis tendet retia rara plagis.
Siſte gradum, immitis, & quas nunc tendis ad undas,
Effuge: cauſſa tuae fons erit ille necis.
Heu miſerande puer, tales ten' ſolvere poenas?
Ten' decuit tam crudelia fata pati?
Magna Parens, quae cuncta leves producis in auras,
Totaque diverſo germine picta nites:
Quae paſſim arboribus, paſſim ſurgentibus herbis
Sufficis omnifero larga alimenta ſinu:
Excipe languentem puerum, moribundaque membra:
Aeternumque tua fac, Dea, vivat ope.
Vivet, & ille vetus *Zephyro* redeunte quotannis
In niveo candor flore perennis erit.
Tu mecum ſocias, *Echo*, conjunge querelas:
Et percuſſa novis fletibus antra ſonent.
Crudelis *Telayra*, meos quid ſpernis amores?
Quid miſeras ſurda deſpicis aure preces?
Hei mihi nulla ovium tangit me cura mearum,
Ex quo me iſte tuus, perfida, torret amor.

It miserum pecus : & seri sub vesperis umbras
Per se ipsi redeunt in sua tecta greges.
Nec mihi jam niveo complent mulctralia lacte :
Densaque permisso vellere terga gerunt.
Quin etiam aucupii studium, quo clarus habebar,
Languenti penitus excidit ex animo.
Ite leves passim silvis impune volucres :
Cuncta novus nostra e mente fugavit amor.
Otia agunt pedicae , & lento lita vimina visco :
In tenebris amites, nexaque lina jacent.

XX.

DAMON.

VOs mecum e vitreis, *Nymphae Naucelides*, antris,
Vos mecum viridi paulum considite in herba :
Atque Hoc, quem canimus, dignum concedite carmen.
Sic vobis patrias circum vernantia ripas
Prata, neque hibernis nivibus viduata, neque aestu,
Sufficiant varios in serta nitentia flores.
Quis dolor, o silvae, quae vos, o prata, tenebat
Moestities : quanto squalebant omnia luctu,
Quum ferus e gelidis descenderet *Alpibus* hostis
Assidue : & *Latias* in praedam verteret oras?
Tum (reor) invita creverunt pabula terra ?
Invitae e densis ceciderunt frondibus umbrae.
Quippe abigi raptas pecudes , passimque videbant
Pastorum rapidos tectis involvier ignes.
Ipsi etiam hircipedes *Fauni* , *Satyrique* bicornes,
Ipsae etiam in solos *Nymphae* fugere recessus :
Et sese ignotis occultavere latebris.
Et furor is fines prope jam pervaserat omnes :
Jamque fugae deerat nobis locus : undique saevos
Cer-

Cernere erat latis hostes discurrere campis.
Nulla usquam tam secretis lustra abdita silvis,
Nulla aditu est tam difficili, tamque invia rupes,
Quo non saepe greges subitis incursibus acti
Fessa reclinarint in nudo corpora saxo.
Et tamen hinc etiam crebri ejecere tumultus.
Insuetaeque maris pecudes (miserabile visu)
Qua pelagi mediis iter intercluditur undis,
Hadriacos videre sinus: & litore curvo,
Pro viridi cytiso, pro molli graminis herba,
Et spinis paliuri, & acuta carice pastae
Potarunt salsas nitidis pro fontibus undas:
Et saepe irati timuerunt murmura ponti.
Quod si non novus ex alto demissus *Olympo*
Hanc cladem nostris *Deus* avertisset ab oris;
Ausoniis esset nullus jam pastor in agris.
Nos miseri patria extorres, rerum omnium egeni,
Ah dolor, externas longe erraremus ad urbes.
Hic nobis dulces saltus, hic pascua nota
Restituit: tutique, inquit, jam pascite tauros:
Jam solitas tuti collo suspendite avenas:
Et desueta diu responsent carmina colles.
Ergo omnes, veluti & *Phoebo*, *Panique* quotannis
Pastores certis statuent tibi sacra diebus,
Magne Pater: nostrisque diu cantabere silvis.
Te rupes, te saxa, cavae te, MAXIME JULI,
Convalles, nemorumque frequens iterabit imago.
At vero nostris quaecumque in saltibus usquam
Quercus erit; ut quaeque suos dant tempora flores;
Semper erit variis ramos innexa coronis:
Inscriptumque geret felici nomine truncum.
Tum, quoties pastum expellet, pastasve reducet

Nostrum aliquis pecudes; toties id mente revolvens,
Ut liceat, factum esse tuo, Pater optime, ductu;
Nullus erit, qui non libet tibi lacte recenti:
Nullus erit, qui non teneros tibi nutriat agnos.
Quin, audire preces nisi dedignabere agrestes,
Tu nostra ante Deos in vota vocaberis omnes.
Ipse ego bina tibi solenni altaria ritu,
Et geminos sacra e quercu, lauroque virenti
Vicino lucos *Nauceli* in litore ponam.
Hic ripa passim in molli viridante sub umbra,
Vere novo dum floret ager, dum germinat arbos,
Dum vario resonant volucrum nemora avia cantu;
Annua constituam festis convivia ludis.
Ductores pecudum hic omnes, rurisque coloni
Contendent jaculo, & rapidi certamine cursus:
Horridaque agresti nudabunt membra palaestra.
Ipse pecu, & tenero victor donabitur hoedo.
Praeterea dulci cantabit arundine *Damon*
Carmina, quae puerum docuit *Sebetheïus Aegon:*
Olim quum procul hinc illis habitaret in oris.
  Scilicet, ut quondam *Assyrii* pastoris amore
Capta Dea, & caelum, & fulgentia sidera linquens,
Omnibus his cari praeferret *Adonidis* ignes.
Fortunate puer, tecum formosa *Dione*,
Una tondet oves, una ad mulctralia ducit:
Atque immunda premit caelestibus ubera palmis.
Dum te complexu teneat, non illa recusat,
Tecum inter pecudes vili requiescere culmo.
At *Mars* ipse Deae cura tabescit inani.
Fortunate puer, mediis pecus errat in agris:
Tu viridi dejectus in umbra, aut carmina cantas,
Aut posita in *Veneris* gremio cervice recumbis.

Illa

Illa tibi amplexus molles, illa oſcula jungit:
Caraque odoratis exornat tempora ſertis.
Sed tu nimirum, ſed felix tu quoque, *Damon*,
Cui licuit toties *Aegonem* audire canentem:
Divinique Senis ſacros ediſcere cantus.
Quod mihi, magne Pater, Divum ſi fata dediſſent,
O quales tibi cantaret mea fiſtula laudes!
Et quodcumque tamen felix concedet *Apollo*,
Hoc te unum canet, hoc uni tibi ſerviet omne.
Nec quidquam magis optarim, quam digna triumphis
Poſſe tuis: videorque canens tua maxima facta,
Inferior nullo, non ipſo *Aegone*, futurus.
Ipſe ſuo certet mecum ſi carmine *Daphnis*,
Ipſe ſuo *Daphnis* cum carmine victus abibit.
Interea agreſtis dignatus ſibila cannae,
Dexter ades nobis; &, quae facis, otia ſerva.

XXI.

De Cupidine, & Hyellà.

FLORENTES dum forte vagans mea *Hyella* per hortos
  Texit odoratis lilia cana roſis:
Ecce roſas inter latitantem invenit *Amorem*:
  Et ſimul annexis floribus implicuit.
Luctatur primo: & contra nitentibus alis
  Indomitus tentat ſolvere vincla puer.
Mox ubi lacteolas, & dignas matre papillas
  Vidit, & ora ipſos nata movere Deos:
Impoſitoſque comae ambroſios ut ſenſit odores,
  Quoſque legit diti meſſe beatus *Arabs*:
I, dixit, mea, quaere novum tibi, mater, *Amorem*:
  Imperio ſedes haec erit apta meo.

XXII.

XXII.

Ad Noctem.

NOx bona, quae tacitis terras amplexa tenebris
Dulcia jucundae furta tegis *Veneris*:
Dum propero in carae amplexus, & mollia *Hyellae*
Oſcula; tu noſtrae ſis comes una viae.
Neve aliquis noſtros poſſit deprehendere amores,
Aëra coge atras denſius in nebulas.
Gaudia qui credit cuiquam ſua, dignus, ut umquam
Dicier illius nulla puella velit.
Non ſola occultanda cavis ſunt orgia ciſtis:
Solave *Eleuſinae* ſacra ſilenda *Deae*.
Ipſe etiam ſua celari vult furta *Cupido*:
Saepius & poenas garrula lingua dedit.
Una meos, quos & miſerata eſt, novit amores
Officiis nutrix cognita fida ſuis.
Haec, quae me foribus vigilans exſpectat in ipſis:
Inque ſinum dominae ſedula ducit anus.
Hanc praeter, tu ſancta, latent qua cuncta, ſilentque,
Tu, Dea, ſis flammae conſcia ſola meae:
Quaeque libens adſtat noſtrorum teſtis amorum
Nobiſcum tota nocte lucerna vigil.

XXIII.

Laurus.

OPPOSITAE obſtabant noſtris prius auctibus aedes:
Nec nos caelum ulla, ſolve juvabat ope.
Disjectis herus his, ſolemque admiſit: & aura
Conceſſit nobis liberiore frui.
Hinc nos in tenues certatim tollimur auras:
Ornamurque novae frondis honore caput.

At

At tibi, cui ſacris *Muſarum*, & *Apollinis* umbris
  Exſtructas libuit poſthabuiſſe domos:
Perpetuo ſimiles noſtris ſint frondibus anni:
  Nobiſcum augeſcant & tibi cuncta bona.

XXIV.

De Pythagorae ſimulacro.

QUEM toties vixiſſe anima redeunte renatum
  Mutato fama eſt corpore *Pythagoram*:
Cerne, iterum ut docti caelo generatus *Aſylae*
  Vivat: ut antiquum ſervet in ore decus.
Dignum aliquid certe volvit: ſic fronte ſevera eſt:
  Sic in ſe magno pectore totus abit.
Poſſet & ille altos animi depromere ſenſus:
  Sed, veteri obſtrictus religione, ſilet.

XXV.

Veris deſcriptio, ad Turrium.

JAM triſti canos glacie concreta capillos
  Afflatu tepidi fugit *Hiems Zephyri*.
Jam nitidum os *Ver* molle auras in luminis audet
  Proferre, & teneros ferre per arva pedes:
Tempora diverſis tollens halantia ſertis
  Purpureo matris *Chloridos* e gremio.
Summittit varios tellus fecunda colores,
  Convertit molles quo puer ipſe gradus.
Et paſſim, quacumque vagos deflectit ocellos,
  Diffugiunt toto nubila cuncta polo.
It prope, & incutiens blandas in pectora flammas,
  Omnia jucundo accendit amore *Venus*.
Quam circum vario texunt e flore coronas
  Perfuſae *Aſſyrio* rore comam *Charites*.

Hinc

Hinc atque hinc mille aligeri pueri assultantes
Conjiciunt certa spicula acuta manu.
Concipiunt dulces animalia cuncta calores:
Persultantque vagi pabula laeta greges.
Ipse suam de colle canens *Amaryllida* pastor
Pascentes tenui carmine mulcet oves.
Percussaeque nova dulcedine corda volucres
Dant laetos passim per nemora alta sonos.
Sola gemit, ramoque sedens miserabilis alto
Absumtum mater *Thracia* plorat *Itym*.
Dii bene, quod nostrae tam longe a finibus orae
Exactum hoc dira est in regione scelus.
Heu puer infelix, matri dum brachia tendit
Assueto cupiens se implicuisse sinu:
Illa ferox animi, caecoque agitata furore
Avulsum duro diripit ense caput.
Quid facis ah, demens? ferro quem perdis iniquo,
Is lac dulce tuis hausit ab uberibus.
Huic tu longinquam votis optare senectam,
Huic solita es teneras dicere blanditias.
Heu miserum, genitor, nati, infelixque sepulcrum,
Ut tibi nunc toto pectore sensus abit:
Infandae nosti quum conjugis impia facta,
Atque epulas mensis tristibus appositas!
Nempe furis: strictoque ruis violentior ense:
Sed sublata alis effugit illa novis.
Perpetuum fleat, ut merita est: longisque querelis
Antiqui poenas persolüat sceleris.
Nos, *Turri*, dum florifero vere omnia rident:
Spirat & e summis gratior aura jugis:
Nos hic, qua nitida pellucens rivulus unda
Labitur, & leni murmure dulce sonat:

Can-

Cantemus molles formoſae *Amathuſidos* ignes:
  Quidque ferox arcu, quid face poſſit *Amor*.
Armenias domat hic tigres, ſaevaſque leaenas:
  Eripit hic ſummo, quum libet, arma *Jovi*.
Hoc duce pallentes umbras *Oeagrius Orpheus*,
  Triſtiaque horrendi limina Regis adit:
Nec timuit ſaevaeve *Hecates* immania monſtra,
  Armataſve atris *Eumenidas* facibus.
Hoc cogente, omni quum pectore conſternatus
  Abrupto nollet vivere conjugio:
Paulatim *Eurydices*, veterumque oblitus amorum,
  In *Calaim* tota mente *Boreiadem*
Exarſit: penituſque inſano perditus igne
  Senſit ferventes intima ad oſſa faces.
Formoſe o *Calai*, pulchrae genus *Orithyiae*,
  Te virides ſilvae, te cava ſaxa ſonant.
In te ſuſpirat, ſolum te cogitat *Orpheus*:
  Per te ſollicito nulla quies animo eſt.

XXVI.

Ad Gelliam ruſticantem.

DUm te blanda tenent aeſtivas rura per umbras,
  Deliciis nimium rura beata tuis:
Ecqua tui, mea lux, tangit te cura poëtae?
  An meus e toto pectore ceſſit amor?
Ceſſit amor certe: ſoliti ceſſere calores:
  Abſentis meminit nulla puella viri.
Non ita concuſſae verſantur in arbore frondes,
  Quum gravis adverſum verberat aura nemus:
Quam facile inſtabilem permutat femina mentem.
  Excluſus queritur, qui modo carus erat.
Non ſic *Penelope*, non ſic *Capaneïa* conjux

Antiqui meruit temporis esse decus.
Altera defuncti moerens ad busta mariti,
Noluit abrepto vivere sola viro:
Altera bis denos potuit durare per annos,
Dum cupidos cauta detinet arte procos.
Femina nunc varias tantum connectere fraudes
Novit, & in nulla certa manere fide.
Quid queror haec demens? durae procul ite querelae:
Ite: decent tristes tristia verba viros.
Laetus ego; hos neque enim sequitur mea *Gellia* mores:
Mutare incertos nec solet illa toros.
Quin & mansit amor: soliti mansere calores:
Absentis meminit nostra puella viri.
Multa tamen timeo: tu multa ignosce timenti.
Hei mihi pars nostro nulla timore vacat.
Ah quoties vereor, dum picta per arva vagaris,
Dum rutilae texis florida serta comae:
Ne ruat e summis in te *Saturnius* astris:
Sisve alii cuivis grata rapina Deo.
Pressit *Amymonen* mediis *Neptunus* in arvis,
Dum premeret summum virginis urna caput.
In mediis *Io* campis perpessa *Tonantem* est:
Horridaque hirsuta cornua fronte tulit.
Hinc quoque *Tartareo* raptam *Deoïda* curru
Abstulit infernus in sua regna Pater.
Sidonis errabat nitidos *Europa* per agros:
Quum medium ficto per mare vecta bove est.
Non tamen hos tantum caussantur prata timores:
Hei mihi quam multos dat quoque silva metus.
Hic habitant *Satyrique*, & agrestia numina *Panes*,
Et timor errantum *Faunus Hamadryadum*.
Hic versa in virides *Daphne Peneïa* frondes:

Hic

Hic fera mutato *Parrhasis* ore fuit.
Hic & semicaper spreta *Nonacrius Aegla*
Arcadicae forma Virginis incaluit.
Quod si tecum iisdem pariter versarer in arvis:
Et domus unanimes clauderet una duos.
Non ego Caelicolum fraudes, non furta timerem:
Undique me socio, *Gellia*, tuta fores.
Si versa est *Daphne: Sicula Proserpina* ab *Aetna*
Si vecta est *Stygiis* in nova regna rotis:
Quid mirum? facile est deceptas fraude puellas
Fallere, nullius quas tueatur amor.
Ipse ego perpetuo tecum, mea vita, manerem:
Sic possem nullos extimuisse Deos.
Saepe pererrabat tacitos *Atalanta* recessus:
Tuta tamen fido *Mimalione* fuit.
Cingeret obsessos seu curva indagine colles,
Seu cuperet saevas cominus ire feras:
Haerebat lateri semper comes ille: nec umquam
A domina lato longius ungue fuit.
Ergo huic non summi fraudes nocuere *Tonantis:*
Inque suo nullos sensit amore dolos.
Sic ego per silvas tecum, & per prata vagarer:
Grata essent sine te gaudia nulla mihi.
Nunc pariter nitida recubare juvaret in umbra,
Et capere in viridi somnia grata toro.
Nunc pariter nuda fontes invadere sura,
Torrida dum siccus finderet arva *Canis.*
Saepius in silvis lepores captare fugaces:
Et volucres fictis fallere carminibus.
Saepius in denso convicia dicere luco:
Et madidas verno flore ligare comas.
Saepius umbroso choreas ductare sub antro,

Quum daret agrestes tibia pulsa sonos.
Ah quoties tales inter, mea *Gellia*, lusus
Injicerem cupidas in tua colla manus.
Dulciaque e roseis furarer basia labris,
Basia mi cunctis anteferenda bonis.
O niveam, si qua haec referet mihi gaudia, lucem!
Gratior optatis non erit ulla meis.
Semper *Erythraeis* signabitur illa lapillis:
Semper erit sacros inter habenda dies.
Nunc, quoniam tecum me non licet esse, caveto,
Mutuus exstincto ne cadat igne calor.

XXVII.
IOLAS.

PAscite, oves, teneras herbas per pabula laeta,
Pascite, nec plenis ignavae parcite campis.
Quantum vos tota minuetis luce, refectum
Fecundo tantum per noctem rore resurget.
Hinc dulci distenta tumescent ubera lacte,
Sufficientque simul fiscellae, & mollibus agnis.
Tu vero vigil, atque canum fortissime, *Teucon*,
Dum pascent illae late per prata, luporum
Incursus subitos, saevasque averte rapinas.
Interea hic ego muscoso prostratus in antro
Ipse meos solus mecum meditabor amores:
Atque animi curas dulci solabor avena.
O formosa *Amarylli*, nihil te absente videtur
Dulce mihi: nunc & nitido vere omnia rident,
Et vario resonant volucrum nemora avia cantu:
Exsultim virides ludunt armenta per herbas:
Lascivique agni, infirmisque artubus haedi
Cornigeras matres per florida prata sequuntur.

Non tamen iſta magis ſine te mihi laeta videntur,
Quam ſi triſtis hiems, nimbiſque rigentibus horrens
Agglomeret gelido canas *Aquilone* pruinas.
Dulce apibus flores, rivi ſitientibus herbis,
Gramen ovi, caprae cytiſus, *Amaryllis Iolae*.
Non ego opes mihi, non curſu praevertere ventos
Optarim magis, aut pecoris quodcumque per orbem eſt,
Quam te, *Amarylli*, meis vinctam retinere lacertis:
Et tecum has inter vitam deducere ſilvas.
Eſt mihi praeruptis ingens ſub rupibus antrum,
Quod croceis hederae circum ſparſere corymbis:
Veſtibulumque ipſum ſilveſtris obumbrat oliva:
Hanc prope fons, lapide effuſus qui deſilit alto,
Defertur rauco per laevia ſaxa ſuſurro.
Hinc late licet immenſi vaſta aequora ponti
Deſpicere, & longe venientes cernere fluctus.
Hoc mecum ſimul incoleres, *Amarylli*: ſimulque
Mecum ageres primo pecudes in paſcua ſole:
Mecum, abeunte die, pecudes cava in antra vocares.
Saepe etiam denſo in nemore, aut convalle virenti,
Dum tenue arguta modularer arundine carmen,
Tu mecum ipſa eſſes ſimul, adſtareſque canenti.
Quin & nunc pariter caneres: nunc dulcia noſtro
Baſiaque, & *Veneris* miſceres gaudia cantu.
O ſolum hoc, Superi, miſero concedite amanti.
Tum licet & rapiantur oves, rapiantur & agni,
Ipſe tamen *Croeſo* mihi ditior eſſe videbor.
Mollibus in pratis *Lycidae*, poſt *Daphnidis* hortos,
Purpureos flores texenda in ſerta legebas:
Quum te ſuccincta tunica, fuſiſque capillis,
Et vidi ſimul, & totis ſimul oſſibus arſi.

Pone

Pone ſequebatur *Gorge* ſoror, & tamen audax
Acceſſi: ſumque ipſe meos tibi faſſus amores.
Riſiſti, & ſertum, nitida quod fronte gerebas,
Tamquam ex ſe cecidiſſet humi, jeciſti, abienſque
Liquiſti: advertens collegi protinus ipſe:
Servavique: & adhuc tamquam tua munera ſervo.
Et quamvis dudum foliis languentibus aret,
Non tamen eſt ſerto quidquam mihi carius illo.
Ex illo, ſemperque fui tibi deditus uni,
Pulchraque nulla meis oculis te praeter habetur.
Saepe mihi *Alcippe* vicina & munera miſit:
Et dixit: formoſe puer, quae munera mittit,
Mittit & ipſum animum: tu & munera ſuſcipe,& illum.
Sed potius, *Amarylli*, alio quam tangar amore,
Sudabunt humiles flaventia mella geniſtae:
Et molles violae dura naſcentur in orno:
Incultique ferent candentia lilia vepres:
Et moeſtis ululae cedet philomela querelis.
Quantum ver formoſum hieme eſt jucundius atra:
Quantum mite pyrum ſorbis eſt dulcius ipſis:
Quantum hirſuta capella ſuo ſetoſior haedo:
Quantum nocturnis obſcuri veſperis umbris
Puniceo exſurgens *Aurora* nitentior ortu eſt:
Tantum, *Amarylli*, aliis mihi carior ipſa puellis.
Hae teſtes mihi ſunt ſilvae, vicinaque ſilvis
Populus haec: cujus tale eſt in cortice carmen:
VELLERA. QVVM. SETIS. ARIES. MVTARIT. ET. HIRCVS
VELLERIBVS. SETAS. AMARYLLIDA. LINQVET. IOLAS
Sed nos dum longum canimus, jam roſcida Luna
Apparet caelo: & rapidus deſerbuit ardor
Demerſo jam Sole: tamen miſer ardet *Iolas*.
Nimirum noſtros nequeunt lenire calores

Nec quaecumque rigent *Riphaeo* in monte pruinae,
Nec quaecumque ſimul gelido durantur in *Hebro*.
Fors tamen hos illa ipſa, poteſt quae ſola, levabit.
Sperando interea duros ſolabimur ignes.
At vos, ne ſero dum nox inſurgit *Olympo*,
Praeſidio umbrarum fretus malus ingruat hoſtis,
Jam paſti ſecura greges in ovilia abite.

XXVIII.

Imaginem ſui Hyellae mittit.

QUAM tibi nunc *Iani* donamus, *Hyella*, Calendis,
  Exprimit haec vultus parva tabella meos.
Nulla fuit cuiquam ſimilis mage. pallet imago:
  Aſſiduus noſtro pallor in ore ſedet.
Eſt excors: ſine corde & ego; quod pectore noſtro
  Ipſe *Amor* ereptum ſub tua jura dedit.
Non loquitur: mihi ſic tua quum datur ora tueri,
  Torpet neſcio quo lingua retenta metu.
Unum diſſimile eſt nobis: felicior uno eſt,
  Tam ſaeva quod non uritur illa face.
Quod ſi etiam uretur, tuo enim ſub lumine quidquam
  Illaeſum flammis non licet ire tuis:
Non, ut ego, aſſiduo infelix torrebitur igne:
  In cinerem primo corruet illa foco.

XXIX.

Ad Somnum.

BEATE *Somne*, nocte qui heſterna mihi
  Tot attuliſti gaudia:
Utinam Deorum Rector ille caelitum
  Te e coetu eorum miſerit,
Quae ſaepius mortalibus vera adſolent

Mitti

Mitti futuri nuncia.
Tu, quae furenti surdior freto meas
Superba contemnit preces,
Facilem *Neaeram* praebuisti: quin mihi
Mille obtulit sponte oscula:
Oscula, quae *Hymetti* dulciora sint favis,
Quae suaviora nectare.
Vere, beate *Somne*. quod si saepius
His, Dive, me afficias bonis:
Felicior caelestibus Deis ero,
Summo nec inferior *Jove*.
At tu, proterva, quolibet fuge: eripe
Complexibus te te meis:
Si *Somnus* iste me frequens reviserit,
Tenebo te, invitam licet.
Quin dura sis, sis quamlibet ferox: eris
Et mitis, & facilis tamen.

XXX.

Ad Canalem, & Bembum.

CANALE optime, tuque BEMBE, nostri
Amantissimi utrique, amati utrique
A me non minus, atque utrique ocelli,
Quid rerum geritis? valetis? atque
Absentis memores sodalis estis?
Quid vestrae faciunt bonae *Camoenae?*
Scripseruntne aliquid novi, meum post
Discessum? puto: namque quidquid otii
Per vestras datur occupationes,
Id vos in studiis bonis locatis.
Ad me mittite siquid edidistis,
Oro: nec socium bonum negate

Ve-

Vestri participem leporis esse.
Sed quid cum *Venere* ipsa, *Amoribusque*
Quam vobis bene convenit? caletis?
Amatisne? Dei, Deaeque faxint,
Et feliciter, & bene ipsi ametis:
Quamque ego leviusque, leniusque.
Heu heu me miserum, mei sodales,
Quam saevo teneor furore! quam mi
Totus, quam gravis incubat *Cupido*!
Non, quod non amer: intimis medullis
Ardet me mea *Hyella*, perditeque,
Quantum quid pote perditissimum esse.
Verum hoc me excruciat magis; potiri
Mea nam vetitum mihi puella.
Quod si quando licet: nihil levatur,
Sed ferus magis excitatur ardor.
Nam, quum nec saturum recedat inde
Cor mi: nec furor expleatur umquam
Caris basiolis, papillulisque,
Atque his, qui miserum necant, ocellis:
Augescit magis, & magis. quid heu heu
Adverso paterer Deo, atque iniquo:
Si haec incommoda sunt secundo amore?

XXXI.

In Vancium vicum Patavinum amoenissimum.

Carmen a Laurentio Pignorio primum editum in calce libri Originum Patavii.

BLANDA o *Naïadum* cohors sororum,
Quae *Vanci* nitido latetis amne,
Fusae colla decentibus capillis,
Quos large ambrosii rigant liquores:

Comtae & carbaſeo ſinus amictu:
Exite e liquidis ſimul latebris,
In veſtros ſimul hic adeſte luſus,
Quos large *Zephyro* favente tellus
Vernos florida ſuggerit per agros.
En ſcandentibus hinc & hinc flagellis
Per flavas ſalicum comas pererrans
Vitis pampineas miniſtrat umbras;
Per quas ſibila murmurantis aurae
Jucundum tenero ſtrepunt ſuſurro.
Hic gemmantibus hinc & hinc roſetis
Cultas texere vos licet coronas:
Et paſſim ſimul omnium colorum
Lectos in calathis referre flores.
Queis comtas pariter comas revinctae,
Queis ſparſae teretes ſimul papillas,
Ductetis pariter choros licentes:
Ductetis hilares ſimul choreas.
Sed quid ſplendidius niteſcit aër?
Quid fragrantius huc feruntur aurae?
Rident omnia, & aëre in ſereno
Spirarunt *Cyprii*, *Syrique* odores.
Agnoſco. reſonis ſtrepunt querelis
Olores *Paphii*, *Cupidinumque*:
Concuſſae ex humero ſonant pharetrae.
Ad flores properat ſuos *Dione*.
Nunc vos *Vanciades* ſimul ſorores
Inſtaurate choros licentiores.
Et novae *Venerem* ...*... choreae,
Et chori *Venerem* licentiores.
Huc mitis, Dea, mitiorque ſemper
Adſis muneribus benigna noſtris,

* *decent* fortaſſe.

Quae

Quae versis tibi fundimus quasillis:
Quae pictis tibi teximus coronis.
Incultis, face, *Vancium* rosetis
Paestum vincere, floridumque *Tibur*.
Haec non bruma rigens, calorque laedat:
Haec non flamina pestilentis *Austri*;
Sed semper tibi cultius nitescant:
Sed semper genitalibus *Favonii*
Tua in munera mulceantur auris.

XXXII.
In Hyellae ocellos.

QUAMVIS te peream aeque, *Hyella*, totam:
Nec pars sit, mea lux, tui ulla, quae me
Saevo non penitus perurat igne:
Fulgentes tamen illi, amabilesque
Illi, sideribus pares ocelli
Nostri maxima caussa sunt furoris.
O cari nimis, o benigni ocelli,
O dulci mihi melle dulciores,
Quando vos misero mihi licebit
Usque ad millia millies trecenta,
Aut ultra haec etiam, suaviari?
Dii, concedite mi hoc misello amanti:
Dein nil grave perpeti recuso:
Quin &, si peream, lubens peribo.

XXXIII.
Ad Hyellam.

DISPEREAM, nisi tu vita mihi carior ipsa,
Atque anima, atque oculis es, mea *Hyella*, meis.
Dispeream, nisi ego vita tibi carior ipsa,

Atque anima, atque oculis ſum, mea *Hyella*, tuis.
Nec ſatis hoc: vellem pote quidquam his eſſet haberi
Carius, ut poſſes carior eſſe mihi.
Tu quoque idem velles, pote quidquam his eſſet haberi
Carius, ut poſſem carior eſſe tibi.
Dii, facite, haec longos concordia duret in annos,
Tamque bonos mutent ſaecula nulla animos.

XXXIV.

Hymnus in Gabrielem Archangelum.

JAM Caeli reſerat fores
Aurato e thalamo exiens
Mater *Memnonis*, & diem
Laeto provocat ore.
Nos te, maxime MAXIMI
Miniſter, canimus, PATRIS:
Quo nullus, qui hominum genus
Tam praeſens juvet, uſquam eſt.
Tu noſtras celer ad preces,
Aures protinus ad Deûm has
Defers: nec tenues ſinis
Evaneſcere in auras.
Tu, dum fers nova nuncia
VIRGINI Aetherio PATRI
Dilectae, quibus indicas
Magni vota *Tonantis*:
Nobis fers nova nuncia:
Queis e faucibus impii
Erepti hoſtis, in aurea
Caeli templa vocamur.
Adſis, o bone: & in dies
Semper nos propius juva:

Nec

Nec patrocinio tuo
Umquam mitte tueri.

XXXV.

De Patavio a militibus vastata.

URbs, quam vetusto vectus ab *Ilio*
Post fata *Troum* tristia, post graves
Tot patriae exhaustos iniquo
Tempore, tot pelago labores,
Ducente demum *Pallade*, qua rapax
Cultos per agros *Medoacus* fluit,
Diis fretus *Antenor* secundis
Condidit, *Euganeis* in oris.
Tu nuper & flos, & decus urbium,
Quascumque tellus *Itala* continet:
Magnas tot artes, tot virorum
Ingenia, & studia una alebas.
Te septicornis *Danubii* accola,
Te, fulva potant flumina qui *Tagi*,
Longeque semoti *Britanni*
Cultum animi ad capiendum adibant.
At nunc, acerbi heu saeva necessitas
Fati, severas ut pateris vices!
Ut te ipse vastatam vel hosti
Conspicio miserandam iniquo!
Quid culta tot pomaria conquerar?
Tot pulchra flammis hausta suburbia?
Quid glande deturbata ahena
Moenia, praecipitemque saevi
Mavortis iram, bellaque persequar
Horrenda? squammis ille adamantinis,
Ferroque consertam rigenti

Indu-

Induerat chlamydem trilicem.
Fremenſque, & atrum letifera manu
Telum coruſcans, ſecum odia, & necis
Contemtum, & inſanos tumultus,
Secum animos, rabiemque agebat.
Ille Urbe ab imis ſedibus eruta
Impleſſet omnes funeribus domos:
Non ille vel ſexu, vel ullo
Efferus abſtinuiſſet aevo.

XXXVI.

Ad Bembum.

QUI modo ingentes animo parabam,
BEMBE, bellorum ſtrepituſque, & arma
Scribere, hoc vix exiguo male audax
Carmine ſerpo.
Nempe *Amor* magnos violentus auſus
Fregit iratus: velut hic *Tonantem*
Cogit & fulmen trifidum rubenti
Ponere dextra.
Sic eat: fors & ſua laus ſequetur
Candidae vultus *Lalages* canentem, &
Purius claro radiantis aſtro
Frontis honores.
Nota *Lesboae* lyra blanda *Sapphus:*
Notus *Alcaei Lycus:* altiori
Scripſerit quamvis animoſum *Homerus*
Pectine *Achillem*.

XXXVII.

In Auroram.

DIA *Tithoni* ſenioris uxor,
Quae diem vultu radiante pandis:
Quum genas effers roſeas rubenti
Praevia ſoli:
Roſcidos ut nunc per agros vagari
Sub tuo adventu juvat: & recentes,
Quae tuos ſemper comitantur axes,
Excipere auras!
Sicca jam ſaevus calor uret arva:
Jam vagi aurarum levium ſileſcent
Spiritus: jam ſol rapidus furentes
Exſeret ignes.
Dum licet, laeti ſimul ite amantes:
Dum licet, molles pariter puellae
Ite * flaventes vario capillos
Nectite ſerto.
Nunc ſimul telis poſitis *Amores*
Matris haerentes lateri, & decentes
Gratiae plenos referunt reſecto
Flore quaſillos.
Per feros ſaltus, per iniqua luſtra
Undique occultas agitans latebras
Fertur, & ſilvas varia ferarum
Strage cruentat
Clara *Latonae* ſoboles: nitenti
Huic comae in nodum religantur auro:
Pendet aurata ex humeris pharetra,
Pendet & arcus.
Circum eunt *Nymphae* ſimul: illa curſu
Gaudet effuſos agitare cervos:

* *lucentes* in nonnul. edit.

Hanc

Hanc juvat certis jaculis fugaces
Figere lyncas.
Nunc ab umbroso simul esculeto
Daulias late queritur: querelas
Consonum circa nemus, & jocosa
Reddit imago.

XXXVIII.
De Hyella.

Nil tecum mihi jam, *Phoebe*, est, nil, *Nox*, mihi tecum:
A vobis non est noxve, diesve mihi.
Quantum ad me, ut libet, auricomo *Sol* igneus axe
Exeat *Eoae Thetyos* e gremio:
Ut libet, inducat tacitas *Nox* atra tenebras:
Fert mihi noctem oculis, fert mihi *Hyella* diem.
Nam quoties a me nitidos avertit ocellos,
Ipsa in luce etiam nox tenebrosa premit.
At quoties in me nitidos convertit ocellos,
Candida & in media fit mihi nocte dies.

XXXIX.
De Menalca.

Ex editione Joannis Gagnaeii. Parisiis per Nic. Divitem.

Iverat ad *Phylirem* media de nocte *Menalcas*,
Posset ut ad patrios mane redire greges.
Jamque fores lento religatas vimine pressa
Suspensis manibus solverat ille anima.
Prospectansque oculis ....*.... per ostia, limen
Protenso poterat transiliisse pede.
Quum sensere canes: quo murmure victus, ut ira
Ardebat, tales jecit in astra sonos:

Cinge

* *semiaperta* in Cod. Gagnaeii. Sed lex Carminis repugnat.

Cinge triumphali, puero, tua tempora lauro,
  Qui redis ad patrios tutus, ut ante, greges.

X L.

De Lodovico Pannoniae Rege.

Ex Carminibus Poëtarum nobilium, Jo: Pauli Ubaldini studio conquisitis. Mediolani. 1563.

DANUBII ad ripas primo Rex flore juventae,
  Caesus pro patria, cum patria hic jaceo.
Nec queror, immiti quod sim prostratus ab hoste,
  Sed quod me Reges deseruere pii:
Qui, dum alia ex aliis inter se praelia miscent,
  Et me, & se rabidis hostibus objiciunt.

X L I.

Ad Venerem, ut pertinacem Lalagem molliat.

DIVA, quae has caeli generatim in auras
  Cuncta producis: cupidumque amorem
  Undique infundens, facis, ut perenne
    Saecla propagent:
Qua nihil laetum sine, amabile est nil,
  Nilque jucundum: sine qua nec ipsae
  Gratae erunt cuiquam *Charites*, nec ipsa
    Blanda Voluptas:
Dum tibi laetus reparatur orbis:
  Dum per herbosos pecus omne campos
  Vim tuam sentit: tibi plaudit omnis,
    Diva, volucris:
Dum nihil, quamvis rigidum, feroxque, est,
  Ossibus quod non penitus sub imis
  Sit tua tactum face: quod tuos non
    Sentiat ignes:

Una erit flammarum, & amoris expers?
Una secura his *Lalage* resistet?
Tange age ultrici, Dea, pertinacem
Tange flagello.
Quod si ita tanges, fera ut obstinatum
Applicet nostris animum querelis,
Nec preces ultra miseras superba
Negligat aure:
Conseram laetam tibi, Diva, myrtum,
Vancius qua se rosifer revolvit:
Hanc mero supplex, niveo & rigabo
Lacte quotannis.
Hanc & immistae pueris puellae
Circum agent laetas pariter choreas:
Teque prima unam, simul ultima unam
Voce canent te.
Te canent unam, volucremque natum:
Qui ferox, duro & similis parenti,
Acer & flamma est, & agente certum
Cuspide vulnus.
Spargam odoratas violas, rosasque
Ipse ego, votique reus secabo
Grata torquatae ante tuas columbae
Guttura flammas.

XLII.

De imagine sui armata.

QUID magis adversum bello est, bellique tumultu,
Quam *Venus?* ad teneros aptior illa jocos.
Et tamen armatam hanc magni pinxere *Lacones*,
Imbelleque data est bellica parma Deae.
Quippe erat id signum: forti *Lacedaemone* natum

Saepe & femineum bella decere genus.
Sic quoque, non quod ſim pugna verſatus in ulla,
Haec humeris pictor induit arma meis.
Verum, hoc quod bello, hoc Patriae quod tempore iniquo
Ferre vel imbellem quemlibet arma decet.

XLIII.

In obitum Borgetti catuli.

BORGETTUS lepidus catellus ille,
Cujus blanditias proterviores,
Et luſus herus ipſe tantum amabat,
Quantum tale aliquid poteſt amari.
Nec mirum; dominum ſuum ipſe norat,
Caram bima velut puella matrem:
Et nunc illius in ſinu latebat:
Nunc blande aſſiliebat huc & illuc
Ludens, atque avido appetebat ore.
Erectis modo cruribus, bipeſque,
Menſae adſtabat herili, heroque ab ipſo
Latratu tenero cibum petebat.
Nunc raptus rapido, maloque fato
Ad *Manes* abiit tenebricoſos.
Miſelle o canis, o miſer catelle,
Nigras parvulus ut timebis umbras!
Ut ſaepe & dominum tuum requires!
Cui pro deliciis, jociſque longum
Heu deſiderium tui relinquis.

XLIV.

Genethliacon Pueri Nobilis.

VOs mihi nunc magnos partus, ortusque beatos
Felicis pueri, quo pinguia culta vetusti
Naonis exsultant, quo *Carnia* tota superbit:
Dicite, *Pierides*. vos illum e matre cadentem
Excepstisque sinu, & vestris fovistis in ulnis:
Et teneram molli cinxistis baccare frontem.
Nec vero vos tantum has accessistis ad oras,
Nec solae venistis ad haec vos munera, *Musae*:
Adfuit ipsa etiam pariter, spargensque salubres
Pyxidos arcanae succos, partusque dolores
Leniit: & matrem foetu *Lucina* levavit.
Adfuit *Idalio* veniens e colle *Dione*,
Nectare odorato crines perfusa fluentes:
Assuetaeque leves *Charites* ductare choreas.
Hae simul ambrosia puerum lavere liquenti,
Et parvas tenui cunas stravere ligustro.
Venit & undifluis properans *Naucelus* ab antris:
Quem prope caeruleo e fluctu formosa *Metune*
Ibat: eos circum violasque, rosasque rubentes
Vimineis *Nymphae* calathis, & serta ferebant
Purpureo e narcisso, eque auricomo chrysantho.
Quae postquam totas passim sparsere per aedes:
Jucundoque domus late fragravit odore:
Protinus ecce *Jovis* magni de limine *Parcae*,
Antiquae *Parcae*, niveo queis corpora amictu,
Canaque *Chaonia* velantur tempora quercu.
Hae postquam & matrem complexae, & fronte serena
Oscula junxerunt parvo felicia nato:
Candida versato torquentes vellera fuso,

Fati-

Fatidico tales fuderunt pectore voces.
O fausto nimium caelo, Divisque benignis,
Nate puer, cresce, & dulces solare parentes:
Et fatis laetare tuis. tuque, optima mater,
Tuque, boni genitor pueri, quos omine dextro
Castus *Hymen* quondam thalamo sociavit in uno:
Accipite haec laetis animis, neu posse moveri
Credite, quae vero concordes ore canemus.
Qualis in aprico se tollit amaracus horto,
Quam studio solers omni formosa puella
Ipsa suos alit in lusus, & lenibus undis
Irrigat: illa leves paulatim surgit in auras
Pulchrior, & dulcem late diffundit odorem;
Sic puer augescens primo se tollet in aevo:
Nec se quisquam illi formoso conferet ore.
Mox ubi jam validus teneris excesserit annis,
Tunc illum sacras artes doctaeque docebunt
Aonides, princepsque chori formosus *Apollo*.
Illi & divini latices *Aganippidos* undae,
Et virides *Haemi* saltus, *Pindique* patebunt.
Mars quoque bellipotens simul, & *Tritonia* virgo
Muneribus bellorum, & saevis instruet armis.
Doctior haud illo quisquam, seu cominus ense,
Seu sit opus valida concurrere longius hasta:
Sive inflectere equum, atque arctis compescere habenis:
Seu libeat laxare, & aperto currere campo.
O quoties medio ferventem in turbine belli
Conversae fugient acies: at percitus ille
Obvia quaeque metet infesto corpora ferro.
Non secus ac praeceps hiberno flumine torrens,
Quum tumidus late, ac pluviis hiemalibus auctus
Proruit adversas insano vortice silvas;
Ob-

Obſtanteſque trahit ripas , campoſque per omnes
Cum ſonitu ruit , & rapido rotat omnia fluctu.
Fortunate puer : numquam non victor in hoſtem
Bella geres : magnique aequabis facta parentis.
Ille olim magnos *Gallorum* ſtravit acervos:
Italaque hoſtili manarunt arva cruore:
Tum , quum caeſa virûm ſerpens per corpora *Liris*
Aequoreas curſum vix tandem invenit in undas.
Ille idem gelida quum gens immanis ab *Arcto*
Auſonios paſſim ſeſe effudiſſet in agros:
Audaces animos ingenti ſtrage repreſſit,
Alpinaſque nives *Germano* ſanguine tinxit.
Nunc quoque fallaces abrupto foedere *Gallos*
In *Latios* iterum fines , praedamque ruentes
Proteret , & victos (divinis credite *Parcis*)
Italia expellet : caeloque aequabit honores.
At tu , ſiqua tuo reſtabunt bella parenti ,
Auſoniam infenſo nec dum pacarit ab hoſte:
Ipſe tua fidens animi virtute ſubibis.
Haec primum : mox externas egreſſus in oras
Implebis totum factis audacibus orbem.
Te duce & *Auſoniae* rurſum rediviva reſurget
Gloria , & antiquum late victricibus armis
Reddetur *Latio* imperium. tua ſigna timebunt
Una omnes paſſim populi , quaque incidit alto
Aequore , & *Oceano* ferventes abluit axes,
Quaque coloratis effert ſe *Phoebus* ab *Indis*.
Tum demum placida contentus pace quieſces:
Saevaque miteſcet poſito Diſcordia ferro.
Aurea tum veniet ſaeclis melioribus aetas:
Feliceſque anni , & *Saturnia* regna redibunt:
Tum *Pax* alma colet terras , *Aſtraeaque* virgo :
Im-

Immerſumque gemet *Stygio* ſcelus omne barathro.
Felices, qui tam laeto naſcentur in aevo.
Tu vero, ante alias Superis gratiſſima tellus,
Quam tanto Divûm Genitor dignatur alumno,
Tu nitidas paſſim fruges, arbuſtaque laeta,
Sponte tua, nulloque hominum cogente labore
Produces: humiles ſudabunt mella geniſtae,
Incultique ferent candentia lilia vepres.
Finierant *Parcae*. tum *Jupiter* aethere ab alto
Intonuit laevum: & caeli de parte ſerena
Perſpicuus multo fulgor cum lumine fulſit.

XLV.
Ex Philemone.

Siquid remedii lacrimae afferrent malis:
Minorque ſemper fieret lugenti dolor:
Auro parandae lacrimae nobis forent.
Sed nil, here, iſtaec proſunt: res ipſae nihil
Moventur iſtis: ſive tu ſemper fleas,
Seu numquam, eamdem pergere inſiſtent viam.
Quid his juvamur ergo? nil certe: at dolor,
Ut ipſa fructus arbor, ſic lacrimas habet.

XLVI.
Ex Menandro.

Nam ſi te, alumne, genitrix quum peperit tua,
Hac forte es unus omnium in lucem editus,
Tibi cuncta ut evenirent, quae velles, bona:
Idque annuit magnorum quiſpiam Deûm:
Jure optimo indignaris: valde enim is tibi
Fallax repertus. quod, ſi eiſdem legibus,
Quibus nos omnes, (*Tragicis* ut verbis loquar)
Aeque

Aeque patentem cunctis aërem trahis:
Ferenda ſunt haec levius, & omnis rectius
Habenda ratio. denique haec ſumma eſt, puta
Hominem eſſe te, quo nullum animantium omnium
Extolli, itemque deprimi citius ſolet.
Ipſumque id haud injuria, minimarum enim
Id virium eſt, & maximis ſemper ſtudet:
Plurimaque ſecum commoda conterit cadens.
Tu vero & magna non amiſiſti bona,
Et mediocria ſunt ipſa ea, quae pateris, mala.
Ergo & modeſte, alumne, quod reliquum eſt, feras.

XLVII.

Quum ex Hiſpanica legatione in Italiam reverteretur.

SALVE, cura Deûm, mundi felicior ora,
Formoſae *Veneris* dulces ſalvete receſſus:
Ut vos poſt tantos animi, mentiſque labores
Aſpicio, luſtroque libens! ut munere veſtro
Sollicitas toto depello e pectore curas!
Non aliis *Charites* perfundunt candida lymphis
Corpora: non alios contexunt ſerta per agros.

* * * * * * * * * * * * * * * * * *

Deſunt nonnulla, quae erant in litura.

ILLU-

ILLUSTRIUM POETARUM CARMINA
AD NAUGERIUM, ET DE NAUGERIO.

JOANNIS COTTAE.

JAM *valete, boni mei sodales,*
NAUGERI *optime, tuque amice* TURRI,
Vere candidi, & optimi sodales:
Quos numquam sat amaverim, licet vos,
Quam fratres mage, quamque me ipsum, amarim:
Quibus perpetuum frui per aevum,
Vota si mea Dii audiant benigni,
Sit una ampla animi mei voluptas.
Quod quanto cumulatius futurum est,
Una si liceat mihi beatis
Vestri colloquiis adesse BEMBI!
Verum dura necessitas repugnat,
Invitumque alias adire terras
Cogit, atque alios parare amicos.
Vos ergo memores, meo esse vestri
Fixam in pectore imaginem, bonamque
Vobis partem animae meae relinqui,
Jam valete boni mei sodales.

M. ANTONII FLAMINII.

NAUGERI, *ne quis tibi certet, neve laboret*
Incassum laudes aequiparare tuas:
Sive Epigramma *facis juncto pede, sive soluto*
Defles magnanimûm funera *acerba virûm.*

EJUSDEM.

BRUMA *quot creat albicans pruinas,*
Quot tellus Zephyro *soluta flores:*
Quot spicae Libycis *calent in agris:*
Quot vindemia porrigit racemos:

Quot vastis mare fluctuat procellis,
Quum nascens pluvias reportat Haedus:
Quot Ceraunia *frondibus teguntur:*
Quot caelum facibus micat serenum:
Quot sunt millia multa basiorum,
Quae dari sibi postulat Catullus:
Quotque sunt atomi Lucretianae;
Tot menses, bone NAUGERI, *tot annos*
Vivent aureoli tui Libelli.

BASILII ZANCHII.

NAUGERI, *tibi* Nereïdes *statuere sepulcrum,*
Aequoris Hadriaci *qua levis unda silet.*
Qua solitae in numerum, numeros dum pectine ducis,
Concinere, & virides ducere saepe choros.
Et Doris *tumulo conchas, & lucida texit*
Coralia, *& placidis marmora lambit aquis.*
Ipse etiam circum affusis Pater Hadria *lymphis*
Ingemit: & moestum litora murmur habent.
Parva loquor: te te amisso dolet Itala *virtus:*
Moeret & infractis Faunus *arundinibus.*

JO. MATTHAEI TOSCANI.

HIC NAUGERIUS *ille*, Martialis
Lascivi petulantiam perosus,
Et Musas *sine fine prurientes,*
Laeso cuncta quibus licent pudore,
Non jam virginibus, sed impudicis.
At castas voluit suas Camoenas
Hic NAUGERIUS *esse, sicque amores*
Cantare, ut tenerum colant pudorem.
Hunc ergo pueri, puellulaeque
Crebri volvite, quippe Martiale
Nec doctum minus, & magis pudicum.

NAU-

NAUGERIUS,

SIVE

DE POETICA,

DIALOGUS

HIERONYMI FRACASTORII

AD

JO: BAPTISTAM RHAMNUSIUM.

NAUGERIUS,

SIVE

DE POETICA,

DIALOGUS

HIERONYMI FRACASTORII

AD

JO: BAPTISTAM RHAMNUSIUM.

INTER eas, quae per honeſtatem ab hominibus voluptates concipiuntur, ego, jucundiſſime Rhamnusi, ſuaviſſimam ſemper illam, & praecipuam exiſtimavi, quae ex amicorum conſuetudine capi ſolet. neque enim video, quid gratius eſſe poſſit in vita, quam cum eo eſſe, colloqui, tua omnia communicare, quem perinde diligas, ac te ipſum. Qua de cauſa, & eorum quoque, qui e vita diſceſſere, memoria, factorumque, ac dictorum repetitiones ſuaviſſimae eſſe conſuevere. Quae voluptas miro neſcio quo affectu intercidere inter te, & me ſolet, quoties eſſe una nobis datur. datur autem non ſaepe: quod rerum conditiones, & diverſa vitae ratio, nos loco, & dulci hac fruitione mutua plurimum ſejunxere. ſi quando tamen convenire accidit, & ſuaviſſima quidem eſt illa brevis conſuetudo nobis: & facere ſolet, ut memoriae omnium amicorum noſtrorum ſaepiſſime repetantur:

tur:

tur: praecipue autem ANDREAE NAUGERII, summae doctrinae, & gravitatis Patricii, & JOANNIS BAPTISTAE, ac RHAMUNDI TURRIORUM fratrum, quibuscum rarior quaedam, atque intima magis amicitia intercessit nobis. nam quae cum M. ANTONIO TURRIO eorum fratre fuit, uti vetustior (ut scis) ita quodammodo insenuisse videtur. Quam ob rem superioribus diebus quum tu, relaxandi animi caussa, vacuum a gravissimis *Decemvirum Consilii* negotiis tempus nactus, *Veronae* esses: & memoria tam dulcium amicorum in ea nos deduxisset, quae cum iis olim in vita peregimus: incidere forte fortuna & eorum sermonum recordationes, quos in *Baldi* recessibus habuere ANDREAS NAUGERIUS, & JOANNES BAPTISTA TURRIUS, alter de *Poetica* die una, alter die altera de *Intellectione:* quos sermones quum ego jam multis annis per *Dialogum*, sicuti habiti fuerant, collegissem: tu me hortatus es, ut, si daretur otium, eos *Dialogos* aliquando reviderem: ac, si possem, ita etiam exornarem, ut in lucem emitti facile possent. Quod certe mihi vel maxime desiderandum fuit, tum ut morem gererem tibi, cui negare quidquam non possum, tum ut tantorum amicorum memoriam, quantum possim, ab oblivione defenderem. nam quamquam illa per se illustris sit; & clara in animis hominum vivat, atque aeternum victura sit: aequum tamen, & pium videtur, viva etiam & illa facere, quae ipsi nullis scriptis mandata, sed ore tantum emissa reliquere. Ergo, quum tu mox *Verona Venetias* discessisses, ego vero, non multo post, meos in CAPHIOS secessissem, animum, oculosque ad eos *Dialogos* appuli, ac diligenter re-

legi:

legi: quos tametsi cognovi non pauco cultu indigere, ac multa exposcere, statui tamen, non esse perpetuo concludendos; sed ad te mittendos, ac tandem, si ita tibi visum fuisset, in commune edendos: ut quisque videre posset, quae viri illi de nostra hac *Intellectione*, quid esset, & quo pacto fieret, existimavere: quidque de *Poeta* ipso, atque ejus officio, ac fine, constituere. quae omnia tibi in primis arbitror futura esse gratissima, quasi amicos tantos tu, uti vivos, & loquentes, & tanta de re disceptantes spectes, & audias. Admirabuntur fortasse aliqui, quod ego grandiori hac aetate juvenilia haec, & juvenum narrata referre nunc animum inducam. Verum enim vero neminem mirari par esse existimo: quandoquidem, si Poëtam ipsum plane introspexeris, beneque fueris contemplatus, dignum profecto existimabis, quem & senes quoque audire, & cognoscere debeant, & cognitum venerari. Nam & *Democritum* quoque audivimus annis grandem de *Poëtica re volumina duo supra viginti* reliquisse: nec *Aristoteles* minus laudis ex *Poëtices* traditione consecutus videtur, quam e reliqua *Philosophia*. quare nec nos quoque pigeat & venerari Poëtam, & quos de ipso sermones amici nostri habuere, ad te audiendos referre.

Forte enim quum per *Caniculae* dies *Veronae* essent ANDREAS NAUGERIUS, Venetus Patricius, & Senator, vir *Graece*, & *Latine* doctissimus, *Historiarum* autem sui temporis scriptor egregius, & *Joannes Jacobus Bardulo*, *Mantuanus* civis, & ipse lingua utraque disertissimus: aestasque videretur quam gravissima: decrevimus cum *Turriis* fratribus *Joanne Baptista*, & *Rhamundo*

in

in *Baldi* frigora ſimul ſecedere. acceſſimus autem ſub veſperam. (locum *Meonem* vocant.) Nox quum adveniſſet, dum alii curamus corpora, *Bardulo*, qui *Mathematicarum* rerum, inprimiſque omnis *Aſtronomiae* peritiſſimus erat, numquam autem alias forte tantum caeli nactus fuerat, ſpectatum ſidera omnia ſeſe tranſtulit: unde nec, niſi poſt multam noctem, divelli potuit. mane vero, quum primum illuxiſſet dies, idem ille exſurgens, noſque ſomno excitans, vicinam in ſpeculam vocavit, unde orientem *Auroram*, *Solemque* ſalutaremus: cujus exortus nuſquam amplior, nuſquam purior viſus a nobis fuit. Occipiebant jam ſilvae, monteſque mugitibus circum compleri: alioqui ubique ſilentium, & vaſta ſolitudo: ubi praeter raros paſtores, atque armenta, animatum nihil inſpectabatur. hic ubi aliquantiſper immoratum eſt, placuit vicinum ad fontem greſſus movere, quo irriguum pratum leni aſcenſu ducebat. Excavabatur aſper tophus in ſpecus varios, qui omnes perpetuis ſtillis impluebant in terram: unde corrivatis in unum aquis nitidiſſimus fons per virens pratum commurmurans deſcendebat. circa tophum multae fagi umbram dabant, quas inter variae fonti aſſuetae volucres circum, ſupraque cantu placido volitabant. Hic ubi circa fontem conſedimus, mira res jucundiſſimam materiam ſermonibus noſtris praebuit. nam *Andreae Naugerio*, & *Joanni Baptiſtae Turrio* valde contraria contigere. *Naugerius* enim, quaſi *Muſa* tactus, aut *Apollinis* oeſtro concitus, quum late circumſpexiſſet, carmina primum quaedam ſubcinere cepit: mox e ſinu correpto pugillari *Maronis*, quem numquam dimittere conſueverat, tanto im-

impetu, sed & tanta harmonia legere cepit (erat enim, ut scis, mirae suavitatis in legendo) ut nobis videretur & ille quasi furens effectus, & nos nihil umquam suavius audisse. qui, quum *Bucolica* fere dimidia eo furore legisset, postremo exclamans libellum a se projecit. *Joannes* autem *Baptista*, qui toto mane illo ne verbum quidem protulerat, quasi stupore quodam oppressus, admirabundus, tacens, productis oculis sedebat: quam diversitatem quum animadvertisset *Bardulo*, Si fas est, inquit, *Turri*, silentium tuum rumpere, equidem optarim, magnum nescio quod problema a te enodari mihi. Cui *Turrius*: Fas quidem est, *Bardulo*: nam & jam inurbanum esse potest silentium meum: sed quodnam problema ais? & ille: quod tu, inquit, ac *Naugerius*, facitis: qui eadem in caussa contraria pati mihi videmini. nam quid, per Deos, est, quod simul ac venimus haec in loca, tu quidem taciturnus, moerens, quasi quidam *Bellerophon*, effectus es: *Naugerius* autem *Musa* quadam hilariori contactus, & canens, & quodammodo furens evasit? Cui *Turrius*, Dicam, inquit, nec inane quiddam existimato, quod dicam: hunc certe aërem, quem spiramus, *Manes* diversi incolunt, qui praesertim hasce solitudines, & nemora, & fontes habitant, ubi & Dii degere non ab re a Poëtis dicuntur. ii *Manes* nostra corpora ingrediuntur, & egrediuntur, ac diversi diversimode agitant. nunc vero arbitror, *Virgilii Manes*, qui loca haec incolunt, vexare *Naugerium*: me autem *Philosophi* alicujus eorum, qui melancholiis capi consueverunt in vita, aut *Democriti*, aut alterius tristioris.

Cui *Bardulo*: Si licet, *Turri*, tuos hosce *Manes* in-

interpretari, illud mihi videris subfigurare, quod *Naugerius* Poëta natura sit: tu autem Philosophus. Et *Turrius:* nihil quidem prohibet ita interpretari; sed illud recte dicitur, *Naugerium* natura Poëtam esse: me autem Philosophum natura esse nescio.

At *Bardulo*, Esto, inquit, ut lubet: verumtamen nihilo magis enodatum problema videtur mihi. qui enim fit, ut idem locus alterum Poëtam, alterum Philosophum faciat? eadem enim sunt, quae animos vestros impellant: cur ergo non idem faciunt in utroque? Magnam, respondit *Turrius*, rem poscis, *Bardulo*, nec cui ita repente, & perpauca sit respondendum. nam qui recte dicere hac de re velit, prius sciat necesse est, quaenam Poëtae natura est, quidque ipsa *Poëtica:* tum & quis Philosophi genius, & quo pacto motus illi fiant, qui animos nostros impellunt, atque ipsa demum cognitio, & *Intellectio*.

De *Philosophi* quidem natura, & nostra hac cognitione, ego quidem possim nonnulla, si non pro re, at pro viribus dicere. De *Poëta* vero, & *Poëtica* ipsa, ego, qui Poëta non sum, recte nihil dicere possum. poterit autem *Naugerius*, cui Poëtae natura quam optime nota, atque experta est. is sua si tractare velit, ego, quo tuo problemati satisfaciam, mea ipse pariter prosequar. mea enim voco, quae jam promisi.

Conversus igitur in *Naugerium Bardulo*, Vide, inquit, *Naugeri*, quam felicem diem, quam jucundos sermones casus pararit nobis: quam mihi in primis optatissimos. nam ego quidem magnopere semper desideravi de nostra hac *Intellectione*, quo pacto fiat, audire: tum vero nec minus, quidnam *Poëta* sit, quodque ejus officium, ac finis: quorum utrum-

que

que in praesenti magnus quidam aut casus, aut fatum in manus dedit. tu facias, rogamus, ne tui caussa tanta occasio pereat, qui rectissime omnium possis de natura Poëtae differere Poëta ille, quem noscimus. Cui *Naugerius*, cave, inquit, *Bardulo*, quo pacto hoc mihi Poëtae nomen imponas.

Si enim furor quidam est *Poëtica*, & insania quaedam, injustum est, amico id notae inuri. si vero potius quid divinum est, equidem neque me ego tanto illo nomine dignor, & paucos novi, qui hoc saeculo eo digni sint. quoniam tamen & ipse magnopere cupio a *Turrio* audire, quo pacto fiat *Intellectio* in nobis: ne mea caussa contingat, quo minus id agatur, nonnulla & ipse de *Poetica* referam, quae partim legi, partim audivi, partim & ipse semper existimavi. Sed cogitandum paulisper fore videtur, si omnia suo ordine in memoriam sunt reducenda: quare, si ita & vobis videtur, negotium hoc ad meridianas horas remittemus. nam & jam altior mihi videtur sol. Interea & per noctem rem suam agitabit *Turrius*, qui sequenti mane promissa de *Intellectione* prosequetur. Nos opinionem laudavimus, ac surreximus: quisque, ut sibi magis placuit, in diversa deambulantes. nec multo post pastorale cornu insonuit, quo intelleximus ab iis vocari, qui jam prandia paravissent. at pueri sub alta fago propter aquae labentis rivum mensas paraverant, quo & pastores quidam convenerant, qui diversa lactis munera comportarant: cum quibus inter prandendum multa de pastorum vita locuti fuimus. Sublatis mensis, quum per horam multa fuissent inter nos dicta, nonnulla etiam lecta, placuit

Naugerio vagari aliquantisper soli, quo (ut arbitror) commodius meditaretur: nostrûm quisque diversa exercuit, donec hora redeundi ad fontem visa est jam advenisse. Igitur quum & *Naugerius* reversus jam esset, placuit omnibus constitutum ad locum redire. Jussit autem *Naugerius*, ut nobiscum & puer quidam lyricen suus accederet, qui mira quadam & tangendi citharam, & canendi arte praestabat. Ad fontem igitur quum venissemus, in coronaque omnes consedissemus, atque oculos in *Naugerium* convertissemus, ille ita exorsus est.

De *Poetica* hodie, o amici, deque Poëtae officio acturi sumus. Quod & loco huic, & huic coronae quam optime convenire videtur. Verum non recte quidem videmur rem tantam prosequi posse, nisi & Poëtarum more a Deorum invocatione inceperimus: alioqui & Diis omnibus montis hujus injuriam fieri video, & ipsi etiam *Poëtae*. quapropter, Dii, Deaeque omnes, qui silvas, qui montes, qui fontes colitis, quos primi Poëtae cognovere, & venerati reliquis mortalibus monstravere: in primis autem, Dii fontis hujus, tuque *Apollo Nomie*, & *Pan* horum pastorum Deus: necnon & tu, *Balde*, silvarum, fontium, ac *Nympharum* pater: adeste omnes, audite, atque adfavete. quae quum dixisset, ad nos conversus, ita secutus est. Quoniam igitur ipsum Poëtam quaerimus, operae pretium fore arbitror, si prius de Poëtae fine dissferuerimus: qua in re & comitem inquisitionis hujus aliquem e vobis velim, ac te ipsum, *Bardulo*, qui mihi respondeas, quae videbuntur tibi, si quando ego te ipse fuero percunctatus. sic enim & minore labore, & minore taedio rem peragemus. Annuit

nuit *Bardulo*. Et *Naugerius*, Principium igitur, inquit, ab iis sumendum, quae dici de Poëtae fine consuevere, ut videamus, si qua & nobis conducant. Quapropter, dic mihi, *Bardulo*, quemnam tu aut audisti, aut tute ipse putas esse Poëtae finem? Delectare, inquit ille, audivi esse finem Poëtae, quod & nos etiam fortasse possumus existimare. quid enim monstret aliud *Musica* illa carminum adeo quaesita, quid omnia fabulamentis involuta, omnia miranda tanto studio affectata? *Comoediae* porro, & *Tragoediae*, *Scenaeque*, & *Histriones* non aliud videntur mihi, quam aurium, & populi oblectamenta: quod & Poëtarum comites monstrant *Musae*, *Nymphae*, *Sileni*, & ipse etiam *Bacchus*: instrumenta vero *Citharae*, & *Lyrae*. quamobrem omnis Poëtarum finis in oblectatione constitutus videtur. quod & origo quoque ipsius *Poëticae* plane demonstrat, quam ita primum fuisse enatam, *Aristoteles* tradit. quum enim natura insitum sit nobis imitari, tum & natura insitum canere, & Musica quadam agi, primum quidem ceptum est cantu quaedam imitari, rudi quidem atque agresti: mox, quum id delectaret, adhibita majori cura studioque, tandem & ars facta est, & *Poetica* enata. Ita quidem, inquit tum *Naugerius*, & ego de Poëtarum fine audivi. verum enim vero istac de re accuratissime ratio habenda est. Si enim nullum aliud institutum Poëtae fuerit, quam sese, atque alios oblectare, equidem vereor, ne levis quidam, ac ridiculus homo Poëta hodie nobis evadat, qualem & *Ennium* accepimus ab externis nationibus habitum fuisse, quum a *P. Scipione* carmina quaedam recitare jussus esset. similis autem & fortasse Poëta erit seni

cui-

cuidam vicino meo, qui nunc ſubit in mentem mihi. agrum ſenex hic diu conducticium tandem ſibi proprium comparaverat, arbuſto, oleis, ficiſque ſeverat, roſeta circumpoſuerat, ut certe delectare magnopere locus poſſet. quum autem ſibi domus in ſummo eſſet colle, unde ſic ſubjacentem agellum ſpectare continenter poſſet, obſtabat quidem antiquiſſima ſilva, & montis interpoſita pars. ille, etſi magni laboris exiſtimabat, ſilvam, & rupem de medio tollere, in extremam tamen dementiam tandem venit, ſilvae, rupiſque avertendae. igitur, nulla interpoſita mora, antiquiſſimas quercus caedere, plauſtris truncos abducere, noctu etiam ſurgere, familiam ſomni increpare, nullis laboribus parcere. omnibus vero tandem ridentibus, & rogantibus, quo tantum laborem ſtrueret: ut oblectaretur, reſpondebat, horis omnibus agrum videndo, quem tam pulchrum excoluiſſet. Igitur & Poëtae non minorem rupem, ſilvamque caedere videntur mihi, die, noctuque ſtudiis invigilare, ſemper pallere, diſciplinas omnes diſquirere, a Republica, atque omni actione abſtinere: interrogati vero, quo tanta moliantur, ſi non aliud reſponderint, quam, ut ſeſe, atque alios canendo oblectent, equidem inſanire illos dicam, non minus, quam ſenem illum vicinum meum. quod quidem longe alienum eſt ab ea opinione, quam paulo ante de Poëtis habebam, quum *Maronis Bucolica* tanta admiratione perlegerem. Abſit autem, o *Bardulo*, & vos alii, ut tam pravam de Poëta exiſtimationem habeamus, qui tanta arte, tanto ingenio, tot diſciplinis praeditus eſt: quem *Plato* divinum vocat: quem *Graeci* bonarum omnium artium inventores,

mox

mox & *Romani* eadem, qua & Imperatores, corona ornari dignum arbitrati ſunt: cujus poſtremo voce oracula ipſa reddi Dii maximi voluere. quam ob cauſſam alius a nobis, o *Bardulo*, & multo dignior finis, quam, qui dicitur, eſt perquirendus Poëtae. Videtur, inquit tum *Bardulo*; ſed quiſnam alius erit? numquid forte prodeſſe, quod video a multis dici, ut delectare, & prodeſſe Poëtae velint? Et ille, Quaerendum quidem & hoc; nam ſive conjunctum cum alio, ſive ſeparatum ponatur, non ſatis mihi videtur facere pro fine Poëtae. quam ob rem quando ajunt ſtudere Poëtas, ut proſint, poteſne dicere, quaenam illa potiſſimum ſint, per quae Poëtae prodeſſe ſolent? Quid ni? inquit ille: in promtu enim fere omnia ſunt. nam quae per *Jovem* ſunt, quae Poëtae non doceant? illi Hiſtoriarum copias, locorum deſcriptiones, regionum naturas, vitae inſtituta tradunt: multa de Imperatore, de milite, de patrefamilias, de Republica ſcribunt: de re ruſtica, de nautica, de artibus, ac de iis aliis, circa quae verſamur: de ſideribus inſuper, ac naturae rebus, plantiſque, atque animalibus: de Deo, de inferis, de vaticinio, de ritu, de antiquitate, atque, ut ſummatim dicamus, de iis omnibus doctrinam videntur facere, unde quilibet peritiſſimus fieri poſſit. propter quod & *Homerus* omnem *Graeciam* erudiviſſe primus dicitur. Tum *Naugerius*, Pulchre, inquit, dicis, *Bardulo*, omnibus fere de rebus Poëtam doctrinam facere: mire, multifariamque prodeſſe. at illud per Deos mihi dicito, quando Poëtas Hiſtorias docere, loca deſcribere, dictum eſt, eſtne facultas aliqua, quae Hiſtorias & ſcribere doceat, & ſcribat? tum aliqua,

quae

quae terrarum situs, gentium differentias declaret? Aliqua certe, respondit *Bardulo*. Et ille: Aliane a *Poetica?* B. Alia certe utriusque. N. Quaenam? B. Hujus quidem Geographia, illius vero Historica. N. Cujus igitur per se magis officium est Historias scribere, terrarum loca designare, Poëtaene, an ejus, qui Historicus, quique Geographus dicitur? B. Horum certe magis, ut mihi videtur: nam & ab his accipere Poëtam puto, illos vero per se complecti, & ex proprio instituto. Recte dicis, inquit tum *Naugerius*, sed & illud dic rursus mihi, Estne facultas aliqua, quae de vitae institutione consideret: & aliqua, quae de Republica: aliqua, quae de re rustica? B. Omnino. N. Aliaene & hae a *Poëtica?* B. Aliae prorsus. N. Cujus igitur interest vitae praecepta tradere, de Repub. scribere, de rustica? earumne, an Poëtae? B. Earum; ita medius fidius: nam de iis si Poëta scripserit, accepisse quidem ab ipsis dicam. Ergo, inquit tum *Naugerius*, ne singula prosequamur, itidem censendum est & de aliis omnibus, quae supra commemorasti: singularum enim rerum, quae in scientiam cadunt, propriae artes, & disciplinae sunt constitutae: haec quidem de se ipso bene regendo, illa de bene regenda domo, alia de Republica, de jure civili, de sideribus, de natura, de Deo, de inferis, de vaticinio, & aliis demum omnibus, quae longum, & supervacuum esset recensere: quorum omnium quum propriae artes, & scientiae cujusque sint constitutae, accipere quidem ab iis Poëta censendus est, neque aliter uti, quam qui mutuo quidquam acceperit, ac bono commodoque alieno ipse etiam usui esse nitatur.

di-

dixerit fortaſſe Poëta:

> *Jam clarus occultum* Andromedes *pater*
> *Oſtendit ignem : jam* Procyon *furit*,
> *Et ſtella veſani* Leonis.

& illud:

> *Seu* Libra, *ſeu me* Scorpius *aſpicit*
> *Formidoloſus, pars violentior*
> *Natalis horae, ſeu tyrannus*
> Heſperiae Capricornus *undae*.

Sed certe, non, quatenus Poëta, haec dicit, ſed accipiens ab Aſtronomo. quam ob rem, quando prodeſſe conducticium quodammodo Poëtae eſt, non propriae facultatis, ſeparandum quidem videtur a primario Poëtae fine, & inſtituto per ſe. praeſertim, quod per hoc nihil Poëtae proprium aſſignatur: ſi quidem & alii omnes, qui ſcribunt, & delectare, & prodeſſe docendo volunt. neſcio, & an vobis itidem videatur. Videtur certe, reſpondit *Bardulo*. verum, ſi prodeſſe a primario Poëtae fine ſejunxerimus, nihil video ſupereſſe, praeter delectationem. ſic autem, ut prius dicebatur, in indigna, & ludicra relabemur: niſi forte dixerit quiſpiam, Poëtam alio modo prodeſſe, ac alii conſueverunt. alii ſiquidem docendo fortaſſe proſunt: Poëtae vero repraeſentando. nam tametſi non doceat Poëta, qualis quis eſſe debeat aut Imperator, aut miles, aut paterfamilias, aut temperatus, & intemperatus, & ejuſmodi; repraeſentat tamen Imperatorem, militem, patremfamilias, temperatum, intemperatum, pium, miſericordem, crudelem, timidum, magnanimum, inſolentem, ſuperbum, ſegnem, iracundum, prudentem, imprudentem, & ejus generis

Hh alia.

alia. ſcis enim, *Poeticam* a *Platone*, & *Ariſtotele* imitatoriam artem vocari: nihil autem refert, ſive imitari, ſive repraeſentare dicamus. Qua de cauſſa ſunt, qui putent, finem Poëtae eſſe prodeſſe per imitationem. Probe dicis, reſpondit tum *Naugerius*. verum de imitatione hac, ſive repraeſentatione *Poëtica* accurate arbitror eſſe conſiderandum: atque illud in primis eſt inquirendum, utrum circa omnia, de quibus Poëta ſcribit, repraeſentatio, & imitatio dicatur: dico autem, ſi Poëta de ſtellis, de plantis, de animalibus ſcribat, utrum & haec imitatio, quemadmodum illa, quae perſonas inducit, an propria quaedam ſit imitatio Poëtae; puta illa, quae circa perſonas eſt tantum: haec enim non ab re ſunt inquirenda a nobis. tu vero, quid de his putas? Cui *Bardulo*: Ego, quid putem, non poſſum nunc certe dicere. ſed quid prohibet, ſi ſingula ponamus, ut videamus, quae conſequantur? N. Nihil quidem prohibet. B. Ponamus igitur, imitationem eſſe, quodcumque Poëta ſcribat: & non ſolum quum perſonas inducit. N. Ponamus quidem. ſed, ſi ita poſuerimus, non video, quo pacto Poëta ab aliis differat, nec, quid habeat proprium. nam & alii omnes utilitatem hanc praeſtare volunt docendo, quod ſcribunt, & repraeſentando legentibus, & audientibus. quod ſi Poëta aliter ipſe aſſequitur, id, oportet nos inveſtigare, quid ſit, & in quo conſiſtat. nec ſolum carmen debemus adducere, per quod ab aliis differat; ſic enim rurſus in puerilia recidemus. quare ponamus alteram partem, ſi placet. B. Placet quidem. ponamus igitur, certam eſſe materiam Poëtae propriam, qua differt a reliquis, qui

ſer-

ſermone utuntur: puta illam, quae perſonas inducit, quae proprie imitatio dicitur; quod video a multis dici. hoc enim monſtrant *Tragoediae*, & *Comoediae*, & ipſa etiam *Aepea*, quae praecipue, & maxime Poëta ſcribenda aſſumit. propter quod, ſi qui aliam aſſumſere materiam, non Poëtas vocandos cenſent, quemadmodum nec *Empedoclem Ariſtoteles* vocare voluit. N. Recte dicis, *Bardulo*, ita eſſe, qui exiſtiment: quare tanto accuratius res iſta quaerenda eſt. Primum autem ſtatuendum eſt, duo eſſe, quae unumquemque, qui ſcribit, aſſumere oportet: alterum eſt materia, hoc eſt res, de quibus dicitur: alterum eſt dicendi modus. Neceſſe igitur eſt, quod Poëta proprium habet, & quo ab aliis differt, aut a materia ſola ſumi, aut a modo dicendi ſolo, aut ab utroque ſimul. a ſola autem materia ſumi, ut ab ea, quae imitatur perſonas, dici quidem (niſi fallor) non poteſt; ita, ut eum ſtatim Poëtam vocemus, qui perſonas eſt imitatus, aut eum non Poëtam, qui non eſt imitatus: ſic enim & *Bavios*, & *Maevios* poſſemus in Poëtarum cenſu ponere, quod perſonas induxiſſent: & eum appellare ſculptorem, qui marmor aliquod incidiſſet. Quod ſi dicas, quamquam Poëta non eſt ſimul, ac quis perſonas eſt imitatus, Poëta tamen non eſt vocandus ille, qui hanc non aſſumſit materiam, ut *Empedocles*; profecto & hoc valde durum videtur. primum, quod, *Virgilium* circa *Aeneida* Poëtam eſſe, circa *Georgica* vero non eſſe, valde mirum eſt: deinde non ita exiſtimaſſe ipſe etiam *Horatius* videtur, quum publicam omnem, & communem materiam dixit propriam Poëtae fieri, ſi *Poëtico* more tractetur: quemadmodum &

dolium illud privati juris fit illius artificis, qui exactam rotunditatem dedit, os non patulum, & alia, quae communes artifices faciunt. ac demum ego non video, quid plus afferat imitatio personarum, quam imitatio aliarum rerum: ut earum, quae sunt a natura. quapropter, si tu forte audivisti aliquid majus addi, potes nunc dicere. B. Equidem & ipse hac de re saepissime admiratus mecum cogitavi: ac, siquid tandem dici potest, hoc mihi prae aliis praestare videtur imitatio personarum, quod maxime ad prudentiam hominum facit: si enim Regem introducat Poëta orantem, elegantiam omnem, prudentiam omnem, decorum omne repraesentabit. itidem faciet & in Imperatore, in milite, in patrefamilias, & breviter in omnibus aliis: ad id *Comoediae*, ad id *Tragoediae* sunt institutae, ad id etiam *Aepea* omnia. qua de caussa non inepte fortasse dicunt, qui finem Poëtae statuunt prodesse per imitationem. Tum *Naugerius:* Et si quidem concedi potest, imitationem personarum plurimum facere ad prudentiam hominum; non tamen illud concedendum videtur, ut institutum omne Poëtae sit propter prudentiam faciendam, & ob id per se tantum illam imitationem procurare: nam quum duae partes sint in homine, voluntas, & intellectus; & voluntatis prudentia sit finis, intellectus finis cognitio & intellectio; si Poëta imitetur & naturalia, non tantum personas, videbitur quidem omnem finem, & omne institutum adimplesse: in imitatione quidem personarum prudentiam faciendo, in illa vero, quae est naturalium, & similium, faciendo cognitionem:

imi-

imitabitur enim & in hoc perfectiones, & excellentias rerum. Postremo dentur tibi omnia, & prodesse per imitationem sit Poëtae finis aliquis: nondum tamen expressum est, quod per se, & proprium est Poëtae; per quod ab aliis differt. nam & alii quoque id praestant, sicuti Historicus. quum ergo diversa sit imitatio Poëtae, & diversa Historici, id assignare oportet, quo differt Poëta ab Historico, & si qui alii idem faciunt. magis autem oportebit hoc assignare, si nulla materia propria Poëtae sit, & omne, quod quocumque docetur modo, imitatio dicatur. quapropter nullo pacto ponere possumus, a materia sola sumi Poëtae finem. Nunc venio ad dicendi modum, qui in Poëta longe diversus ab aliis est: de quo similiter est inquirendum, utrum ratio Poëtae ab ipso solo sumatur, an & materia certa requiratur. & certe ab eo solo mihi videtur rationem propriam Poëtae sumi debere, materiam vero nullam esse determinatam; nisi forte in universum, quae tractata potest nitescere. de principali materia loquor, non de attributis: omnis enim materia Poëtae convenit, dummodo exornari possit: modus autem tractandi valde diversus est ab aliis. atque hoc quidem est, quod quaerimus, ac nondum nobis inventum est; quare rursus est cogitandum, *Bardulo*, siquid aliud occurrat pro fine Poëtae, quod nec sit delectare, aut prodesse, sed majus quid atque praestantius; quod tamen non possit non delectare, & prodesse. Cui *Bardulo:* Ita nimirum videtur. non tacebo autem & hoc aliud, quod subit. nam memini audivisse *Actium Syncerum Sannazarium*, qui tum multo junior

junior *Joviano Pontano* erat, bonum illum senem de Poëtae officio solitum percunctari: illum autem tum multa, tum id solitum respondere, officium Poëtae, ac finem esse apposite dicere ad admirationem. quod & in eo quoque *Dialogo*, qui *Actius* inscribitur, ab eodem *Pontano* scriptis mandatum exstat. Video, inquit tum *Naugerius*, sensim nobis aperiri Poëtae finem. verumtamen, ut tenebras omnes de medio tollamus, consideremus & haec, quae *Pontanus* dicebat. neque enim adhuc facere videntur satis ad id, quod quaerimus. nam nonne & Rhetores, & Historici apposite quoque dicunt ita, ut & ipsi mirandi etiam videri velint? an oblitus eorum es, quae *Cicero* tam praeclara de *Oratore* scribit, cui tantam dicendi vim, tantam efficaciam attribuit, ut, quo velit, audientes rapiat, & impellat, in pietatem, in admirationem, in furorem, in lacrimas demum ipsas? quin & ipsummet *Ciceronem* quis umquam potuit sine admiratione perlegere? quod quidem nec minus solet Historias legentibus evenire. quo igitur pacto, o *Bardulo*, in eo, quod est ad admirationem dicere, sejunctum erit Poëtae officium ab aliis? si enim solos numeros addas, puerilia jungemus; oportet igitur aliquid aliud venari, quod officium Poëtae, ac finem ita proprium ostendat, ut alteri nulli conveniat. Et *Bardulo*, Videtur quidem, inquit; sed quodnam aliud erit? numquid illud fortasse, quod *Aristoteles* paucis verbis involvit? quod ego quidem subticui hactenus, quod valde obscurum videretur. differre ille Poëtam ab aliis scribit, quod alii singulare ipsum, Poëta vero universale consideret.

Hic

Hic *Naugerius* novam quamdam animi hilaritatem vultu ostendens, Vicinus quidem, inquit, est nobis, *Bardulo*, Poëtae finis: sed quoniam multa locuti sumus, quiescendum paulisper videtur, atque audiendus lyricen noster, ut recreati aliquantulo magis alacriores redeamus ad hos sermones. significavit igitur puero, ut aliquid caneret: qui temperata suaviter cithara post dulcem, ac brevem sonum, vocem in istaec solvit:

Huc ades, o Thelayra: *quid ah quid grandia farra*
Aestivo sub sole teris, medioque sub aestu,
Nec parcis tibi, saeva? ah te ne immitis adurat
Seirius: *ah teneras ne rumpat pustula palmas.*
Demens, o Thelayra, *patri concede laborem,*
Cui Cereris *cura est: melior te cura* Diones
Sollicitet. tu, dum fervet tritura sub aestu,
Dum crepitat seges, & multo sonat area pulsu,
Clam te operi furare, & aquas effinge ferendas.
Hic nitidus fons est: hic plurima populus umbram
Sufficit, & gelidae summittit frigora ripae.
Vos aurae, Alpinis *placidae de montibus aurae*
Haec illi portate: aut, si pater obstat eunti,
Saltem aestum lenite, gravem lenite laborem.

Haec quum suavissime cecinisset puer, conversus in nos *Naugerius* ita secutus est. Video, o amici, in paucissimis illis tanti Philosophi verbis illucescere, ac patefieri nobis Poëtae officium, ac finem. alii siquidem singulare ipsum considerant, Poëta vero universale; quasi alii similes sint illi pictori, qui & vultus, & reliqua membra imitatur, qualia prorsus in re sunt: Poëta vero illi assimiletur, qui non hunc, non illum vult imitari, non uti forte

sunt,

ſunt, & defectus multos ſuſtinent; ſed univerſalem, & pulcherrimam ideam artificis ſui contemplatus res facit, quales eſſe deceret. quippe omnes, quibus bene dicendi facultas tributa eſt, bene quidem atque appoſite dicunt, quantum cuique convenit: ſed inter illos hoc intereſt, quod praeter Poëtam nullus ſimpliciter bene atque appoſite dicit: ſed in genere ſuo tantum, & quantum attinet ad conſtitutum ſibi finem, hic quidem docendi, ille perſuadendi; & ſi quis alius ejuſmodi finis eſt: Poëta vero per ſe nullo alio movetur fine, niſi ſimpliciter bene dicendi circa unumquodque propoſitum ſibi. vult quidem & ipſe & docere, & perſuadere, & de aliis loqui; ſed non quantum expedit, & ſatis eſt ad explicandam rem, tamquam aſtrictus eo fine: verum ideam ſibi aliam faciens liberam, & in univerſum pulchram, dicendi omnes ornatus, omnes pulchritudines quaeret, quae illi rei attribui poſſunt. ſatis forte alteri fuiſſet de nemore locuturo dicere: *Aut ſicubi nemus eſt*: *Virgilio* vero non ſatis; ſed ita ſcripſit:

- - - - - - - - - - Aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacra nemus accubat umbra.

Videte, per quas pulchritudines nemus depinxit, addens *accubat*, & *nigrum crebris ilicibus*, & *ſacra umbra*. quam ob rem recte *Pontanus* dicebat, finem eſſe Poëtae appoſite dicere ad admirationem: ſed addendum erat, ſimpliciter, & per univerſalem bene dicendi ideam, ut intelligeremus id, per quod Poëta ab omnibus aliis differt, qui appoſite loqui ſtudent. ii enim ſingulare imitantur, hoc eſt rem nudam, uti eſt: Poëta vero non hoc, ſed ſimplicem

cem ideam pulchritudinibus ſuis veſtitam, quod univerſale *Ariſtoteles* vocat. ſi igitur haec pro Poëtae officio facere videntur ſatis, nos ad alia tranſibimus: ſi vero non ſatis, ſed planius agendum videtur, mihi quidem nullus erit labor rem totam a ſuo fonte deducere. Cui *Bardulo*, Gratiſſimum quidem, inquit, *Naugeri*, & mihi, & aliis feceris, quando & vacat, & res ita poſtulat, ſi de tuo iſtoc Poëta, ut ſeſe ad alios habet, & quo pacto, & qua de cauſſa ſolus ipſe ſimpliciter bene dicere voluit, planius egeris, & a ſuo principio.

Et ille, Morem tibi, & aliis, inquit, geram, *Bardulo*; ſed oportebit paulo altius ordiri: non ab re tamen, nec injucunde. Illud igitur in primis dic mihi, putaſne, quicumque ſermone utuntur, bene etiam recteque uti omnes? B. Minime quidem, *Naugeri*; qui enim fieri poteſt, ut omnes recte utantur? N. Quinam igitur recte utuntur? B. Qui peritia quadam, & arte dicendi uti valent, aut natura artem imitante. N. Artem igitur ais quamdam eſſe circa ſermonem? B. Ajo equidem. N. Hanc igitur bene dicendi artem putaſne unam omnibus, an diverſis diverſam, ut Philoſopho ſuam, Hiſtorico ſuam, Rhetori ſuam, & Poëtae ſuam, & ita de aliis? B. Diverſis quidem diverſam artem puto. N. Diverſae igitur artes quum ſint, cenſeſne ita diverſas eſſe, ut prorſus in nullo conveniant; an in quibuſdam quidem convenire, quibuſdam vero differre? B. Convenire quidem omnes in aliquibus exiſtimo, quae communia dicuntur: in aliquibus vero differre, quae cuique propria ſunt. N. Sed & illud dic mihi,

intereſtne alicujus ſpeculari, & complecti illa communia? B. Alicujus certe. N. Tum & alicujus contemplari illa propria? B. Et hoc. N. Cujus igitur intereſt ſpeculari communia? num ejus, qui propria, an magis ejus, qui communia conſiderat? intereſt etiam propria cujuſque ſpeculari, an diverſus eſt, qui communia, & qui propria contemplatur? quod autem quaero, tale eſt; utrum Philoſophus, verbi gratia, qui ſua vult ſcribere, propriam habeat artem bene dicendi ſpeculari, & ſimul etiam communia reliquis: an qui communia contemplatur, conſideret etiam, quae Philoſopho propria ſunt: an Philoſophus ſua tantum conſideret, communia vero alius, non ipſe? B. Ex his omnibus, *Naugeri*, ego quidem exiſtimo eum, qui communia ſpeculatur, ſpeculari etiam, quae cuique propria ſunt: Philoſophum autem, qui particularis artifex eſt, nec ſuam artem bene dicendi propriam poſſe conſiderare, nec communia, nec aliorum propria: ſuam autem artem bene dicendi non poſſe conſiderare, quoniam aliud eſt noſſe ea, quae a natura ſunt, aliud bene dicere de iis: quare communem quamdam artem, & diſciplinam eſſe exiſtimo, quae ſimul &, quae communia ſunt omnibus, tradat, &, quae cuique propria. Recte exiſtimas, inquit tum *Naugerius*; eſt enim veluti domina quaedam, & magiſtra communis ars, quae in univerſum primo formas omnes, & ideas bene dicendi ſpeculatur, & docet: quae mox, ubi diverſos dicendorum fines conſideravit, etiam ſimul & illud docet, quod cuique convenit: a qua, veluti a fonte quodam, quicumque ſcribit, accipit, quod ſibi bene eſt, &

con-

convenit. B. Videtur. N. Similis autem haec eſt navifactoriae arti : quae enim navium formas, ligna, compagines ſpectet, una quaedam communis, & magiſtra eſt ars, &, qui eam novit, magiſter, & dominus. Rurſus vero ſi magiſter hic diverſos navium fines conſideret, & ad eos fines naves formare velit idoneas, hanc quidem portandis oneribus aptam, illam vero fugae, & celeritati navigationis, aliam vero piſcationi : hic jam in multa partitus eſt, pluresque ſibi ſubjectas artes conſtituit, hanc quidem onerarias facere docta, illam triremes, aliam vero lintres. Eodem pacto & qui in univerſum bene dicendi ideas novit, ſi diverſis finibus permotus ſit, plures ſub ſe bene dicendi artes conſtituit : hunc quidem, qui geſta hominum docere vult, Hiſtoricum dicendi peritum, illum vero, qui de natura vult ſcribere, peritum dicendi Philoſophum; & ita de aliis: unde fit, ut dominus, & dicendi arbiter fiat, & Philoſophus, & Hiſtoricus, & alii: hoc eſt conſideret, quae ad Philoſophum, & Hiſtoricum, & alios pertinent: quo dijudicare ſciat, quid cuique conveniat bene dicturo. B. Ita prorſus ſe res habet. N. Communem igitur hanc bene dicendi principem artem, & magiſtram quo appellabimus nomine? & qui eam profitetur, quem dicemus? B. Oratoriam fortaſſe artem illam appellabimus, &, qui eam profitetur, Oratorem, vel Rhetorem: quando nec aliud nomen impoſitum illi video. N. Poſſumus quidem ita appellare; ſed diſtinguendus erit hic Orator dominus, atque arbiter bene dicendi ab eo, cui fere cum populo, & judicibus res eſt: nam & ipſe Orator,

 & Rhe-

& Rhetor appellari vult : plurimum autem differunt. alter enim servus est, alter dominus : alter actor, alter praeceptor: & illius, qui servus est, finis est persuadere, ejus vero, qui dominus, finis est ea docere, per quae bene dicitur, communia quidem omnibus, & illi actori, de quo loquimur. quinimo & idem magister & dominus, si sua scribere velit, sibi pariter legem imponit, & sibi servus fit, & pars bene dicendi non secus, ac alii: neque dominus & patronus est, nisi quatenus docet, & speculatur. si igitur Oratorem, vel Rhetorem volumus hunc appellare, nihil quidem prohibet, dum intelligamus dominum ipsum. Ergo hujus Oratoris (ut cursim ejus munera obeamus) officium est, voces in primis, per quas dicitur, & vocum differentias, & naturas considerare; quae propriae, & impropriae, quae novae, quae antiquae, nostrates, peregrinae, usitatae, dissuetae, primae, derivatae, simplices, compositae, transumtae, lenes, asperae, sonorae, demissae, musicae, immusicae, & id genus alia. ad haec autem & vocum texturas ejusdem est perpendere, & mutare, & transponere, & differentias considerare, & concinnitates earum invenire, & musicas, & pedes, & numeros, & demum figuras omnes; & quo adjecto, aut detracto, suavior, & insuavior oratio fiat, gravior, vilior, clarior, obscurior. nec minus rerum, de quibus dicitur, differentias, & naturas novisse eum decet: quae magnae, quae tenues, pulchrae, turpes, laetae, tristes, piae, feriae, ludicrae, facetae, infacetae, dictu faciles, difficiles; & reliquas ejus generis differentias. ordines praeterea dicendorum considerabit,

bit, dispositiones, continuationes, pausas, digressiones, & figuras. omnes characteres praeterea animadvertet, qui magni, qui tumidi, qui demissi, qui graves, qui humiles, faciles, difficiles, floridi, sicci, duri, asperi, clari, obscuri, affectati. postremo & ejus officii erit, dicendarum rerum fines animadvertere, ut disciplinas condere, acta scribere, gratulari, condolere, solari, persuadere, laudare, vituperare, accusare, defendere, affectus animorum movere, tum & horum omnium loca ponere, unde unumquodque eliciatur. Ergo his omnibus ab illo patrono Oratore digestis, ac constitutis, si ad eum accedat Historiae cujuspiam scriptor egregius, velut *Paulus Jovius*, aut *Guicciardinus* noster, petens, quo pacto apposite scripturus sit, quantum sufficiat Historiae; quid putas Oratorem hunc sic petenti traditurum? num forte ornatus omnes, atque elegantias dicendi, quas ipse in universum est contemplatus, an id tantum, quod pro eo fine sufficiat? B. Quantum quidem pro eo fine est satis. N. Quoniam igitur finis ejus est gesta scribere ad prudentiam, quantum quidem ad hoc pertinet, sat illi factum erit, si propria, si candida, si gravi, ac vera oratione utatur: cui interdum nec sua desit Musica. licebit & interdum, ut effingat conciones, & nonnulla consilia, ut prudentiam majorem doceat: quod nos quoque in nostris *Historiarum Libris de Rebus Venetis*, quantum in nobis fuit, *C. Caesarem*, & *Polybium* gravem auctorem secuti, praestare conati sumus: verum ita licebit, ut gravitatis Historiae, & veritatis nihil detraxerit; reliquas vero pulchritudines illi negabit. Quod si & Philosophus

ad

ad eumdem Oratorem accesserit sua scripturus, & hujus quoque res, & finem nosse Orator ille volet: cui dicet, castiori adhuc oratione utendum, propria autem, & non multis transumtis, non multis epithetis referta. At si & actor etiam ille, qui Rhetor vocari vult, nostrum hunc consulat Oratorem, audiet neque sibi ornatus omnes concedi: utendum autem eleganti quidem oratione, sed non affectata, propria vero, atque efficaci: dispositiones vero, & figuras docebit, & argumentationum genera, quibus uti conveniat: loca ostendet, unde animi affectus moveantur: reliqua illi negabit. Vide igitur, *Bardulo*, omnes hi coërciti & astricti sunt fine: nec simpliciter pulchrum sermonem considerant, sed pulchrum in genere suo tantum, quod singulare ab *Aristotele* appellatur. at vero si aliquis alius sit, qui Oratorem hunc nostrum bene dicendi arbitrum, & patronum adeat, dicatque se loqui de rebus velle, de quibus & alii, sed ita, ut nulla gratia, nullus decor, & ornatus sermoni desit; quae putas Oratorem hunc sic petenti daturum? B. Veneres certe omnes, ut uno verbo dicam. N. Hunc autem ita donatum, quo nomine appellabimus? B. Nescio equidem, nisi Poëtam intelligas. N. Poëta certe hic est, cujus officium erit, ac finis, nulla eorum praetermittere, quae simpliciter pulchrum, ac perfectum sermonem faciant: sed video te (nisi e facie fortasse fallor) habere aliquid, quod dubites. B. Non falleris profecto: nam, quod dicis affectare Poëtam sermonem simpliciter pulchrum, dubitationem quamdam mihi ingerit. quum enim in sermone duo sint (ut dixisti) materia, sive res,

de

de quibus dicitur, & dicendi modus; si in utroque Poëta simpliciter pulcher esse vult, in angusto valde erit *Poëtica* res. nam primum res ipsae, quae simpliciter pulchrae sunt, paucae admodum sunt, Dii scilicet, & Heroës, & horum actiones: deinde & dicendi modus, qui simpliciter, & in omnibus pulcher sit, valde rarus erit, & fere unus. quare neque *Comoedia*, neque *Tragoedia* pars *Poëticae* erunt, neque *Ecloga*, & magna *Lyricorum* pars. tum neque illud eveniet, quod supra dicebas, ut materia omnis quantumcumque publica, propria, & *Poëtica* fieri possit. N. Recte quidem, & opportune addubitas, *Bardulo*. verum ipse quum simpliciter pulchrum sermonem dico, ita accipi volo, ut pulchrum illud concordet tamen & conveniat cum re, de qua dicitur, & cum aliis adjectis; & non tantum secundum se pulchrum sit. sicut enim vestis aurea, quamquam per se pulcherrima sit, apposita tamen rustico non modo decorem, & ornatum non afferet, sed risum concitabit magis: ita & si rebus *Comicis* majestatem *Heroicam* addas, omnia facies indecora. hac ergo concinnitate, & convenientia si omnia scribas, & *Comoedia*, & *Lyrica*, & alia, partes erunt *Poëticae*, si simpliciter pulchra in eo genere elegeris. quippe in omni genere sunt quaedam pulchra, quaedam pulchriora, quaedam pulcherrima, quae conveniant. qui ergo pulcherrimis usus fuerit in eo genere, Poëta erit; tametsi pulcherrima illa non sint pulcherrima rebus omnibus, & generibus omnibus comparata. sic enim verum dicis in angusto fore res *Poeticas*: genus enim illud absolute pulcherrimum fere unum est, ut forte *Heroi-*

roicum, per illud tamen non ſemper ſcribere Poëta vult, nec convenit: ſed ſatis eſt illi, ſi ſimpliciter pulchris in quolibet genere utatur. quare aequivocatio illius verbi ſimpliciter te decipiebat: interdum enim ſignificat, quod univerſaliter abſolute tale eſt, interdum, quod tale in ſuo genere. ſi igitur ſatisfaciunt haec tibi, revertamur jam ad id, ubi reliquimus Poëtam, cum Oratore illo patrono dicendi loquentem. B. Revertamur quidem, quando ſatisfaciunt omnia. N. Verum igitur dicebas, *Bardulo*, Oratorem illum noſtrum Veneres omnes ſermonis Poëtae dare. primum igitur hic voces modulari cepit, muſicas ſeligere, immuſicas omnes rejicere, aut abſcondere, quantum potuit: tranſumtas maxime amare, & proprias: ad magnas ſono, & ad lenes animadvertere, & in ſumma ad reliquas earum pulchritudines: tum voluit & pedes conſiderare, & numeros: tum verſus facere, & videre, quid cuique ideae conveniret: ad res vero ſpectans, non niſi pulchras, & magnas, quantum dabatur, eligere voluit: iis non niſi pulchra, & miranda attribuere: quae ſi deeſſent, voluit etiam fingere, & per tranſumta, per digreſſiones, per comparationes perquirere. reliqua porro, quae ad excellentiam ſermonis faciunt, nulla praetermittere: diſpoſitiones, continuationes, figuras, & alia ornamenta, quae praeſentis diei non ſunt: quas omnes vocum, rerumque pulchritudines poſtquam ſimul conjunxit, & per illas locutus eſt, miram quamdam ſenſit, & pene divinam harmoniam ſubeſſe, cui par nulla eſſet alia: tum & ſeipſum quodammodo extra ſe rapi animadvertit, nec ſeſe continere poſſe, ſed ebacchari non ali-

aliter, ac solent in *Bacchi*, & *Cybeles* sacris, *ubi calamo strepit* Phryx, *ubi tympana reboant*.

Hinc ille, o amici, *Platonicus* apud *Jonem* furor, quem *Socrates* caelitus missum putat. non est autem Deus ullus caussa furoris hujus, sed ipsa Musica ingentis cujusdam, atque exsultantis admirationis plena, quae pulsum numeris, velut oestro impotente concitum, nec sese capientem animum quatit: atque id facit, quod & ecstaticis solet prae admiratione contingere. quem ob furorem divinos, quasi Deo tactos, & vates Poëtas dixere; & qui de primis rerum inventoribus tractavere, omnem Poëtarum originem in Deos retulere, *Linumque*, & *Orpheum*, & antiquiores illos Poëtas Deorum filios prodidere. quippe quum jure divini dici Poëtae mereantur: qui soli eam dicendi divinitatem invenere, qua & Dii per oracula ad homines loqui dignati sunt. Haec quum dixisset *Naugerius*, paulisper sermonem continuit, quasi cogitabundus: mox rupto silentio ita rursus secutus est.

Hic ergo finis, o *Bardulo*, atque officium Poëtae constituendus est, apposite simpliciter dicere ex convenientibus in unoquoque. ex quo & illud manifestum est, neminem eorum, quibus bene dicendi facultas est, aequari Poëtae posse: siquidem alii omnes bene quidem atque apposite fortasse dicunt, verum non simpliciter, sed in aliquo tantum, & quantum pro nudo fine est satis: Poëta vero simpliciter solus. qua de caussa quicumque dici Poëta volet, quavis sibi proposita re, sciat, ornatus omnes, pulchritudines omnes, quae ad eam quocumque modo attinent, sibi esse cognitas oportere: alioqui maximas,

& pulcherrimas deligere numquam poterit: quod necessarium est Poëtae, quando neque ille Poëta est, qui mediocribus usus fuerit. hac de caussa solis Poëtis effingere concessum est. si enim rebus pulchra defuerint, & magna, aut eaedem res majores, & venustiores sint evasurae adjectis quibusdam, adjicienda certe ea sunt: ut tandem pro Poëtae fine dicatur. hanc ob caussam & animata Poëtae plurima faciunt: Numen rebus pluribus addidere; silvis, & fontibus venerationem: Deos humanis immiscent; quoniam haec tum magnitudinem, tum admirationem afferre sermoni solent.

Sed nos longiori fortasse oratione aures vestras detinuimus, qui parati forte exspectabatis percunctari, aut adjungere pulchriora. Cui *Bardulo* (in quem ille, finem faciens, videbatur conversus) equidem, inquit, *Naugeri*, quum magnopere gratulatus Poëtae sum, qui paulo ante quasi desipere videbatur mihi: tum tuae orationi nihil addendum puto: cuncta tamen bene perorata censebo, si hoc in filo unum hunc nodum explicatum mihi reddideris. esto enim Poëtam mire, apposite, musicissime dicere, atque hoc esse officium illius; cujus tamen utilitatis, aut usus, per Deos, id nam est, *Naugeri?* dictum est enim in primis (si recte memini) Poëtam non ex proposito, sed conducticio quodam munere prodesse: igitur quamquam pulcherrimus, & divinus etiam sit Poëtarum sermo, dum tamen ad nihil utilis per se sit, nisi eo fortasse, quod delectat, rursus in puerilia relabi videmur. quemadmodum igitur & navifactoriae artis tuus ille magister, ubi naves omnes constituisset, quae ad finem aliquem,

atque

atque usum confici possent, onerarias, triremes, & lintres, si postremo ingentem quamdam, & formosissimam navim struere velit, ad nihil autem utilem, operam quidem, & dies perderet: ita a tuo illo Oratore dicendi domino constitutis aliis artibus, quae bene dicendo esse usui possunt, si postremo Poëta exsiliat, frustra quidem pallere, sese a Republica abdicare, disciplinas omnes disquirere, videbitur mihi: si tandem eo res cadat, ut pulcherrimum quidem, & divinum etiam (si ita vocare libet) cantum edat, utilem autem ad nihil. nam cum quidem, qui rei rusticae perdiscendae desiderio movetur, non aditurum puto aut *Hesiodum*, aut *Maronem*, sed aut *Magonem* magis *Carthaginensem*, aut *Varronem*. Nec similiter qui vitae erudimenta sectatur, ad *Homerum* confugiturum, sed ad *Academiam* magis, & *Stoicos*: ad *Theophrastum* vero, & *Aristotelem*; non ad *Empedoclem*, & *Lucretium*, qui rerum naturas nosse voluerit. quare ipso sciendi desiderio ab omnibus Poëtam relictum iri video, ad voluptatem solam perlegendum, quo pacto saturi solent jubere secundas mensas accedere. Hic subridens *Naugerius*, Num tibi, inquit, *Bardulo*, Philosophia magna quaedam, & divina scientia videtur? B. Videtur quidem. N. Quisnam igitur, si hominum commoda, & utilitates spectes, usui magis venire videtur tibi, Philosophusne, an faber lignarius, & architectus? B. Hi certe magis. N. At tu, quisnam fieri malles, faberne, & architectus, an Philosophus? B. Philosophus certe magis. N. Eadem ergo & de Poëta, o *Bardulo*, dicenda sunt, quae de Philosopho. nam profecto si ad usus civitatum,

& necessaria spectemus, longe inutilior erit Poëta, quam multi alii, sicuti & Philosophus: disciplinarum enim, & artium quaedam utiles vocantur, quaedam venerabiles, quae & liberales dicuntur, quod liberis & ingenuis hominibus dignae sunt. Verum enim vero, o amice *Bardulo*, & vos alii, quamquam ita sit de Poëta, ut vulgari illa utilitate quamplurimis cedat, si tamen ostenderimus, inter omnes, qui dicendo utiles esse solent, Poëtam omnium utilissimum esse, & maxime prodesse, quatenus quisque scribit, quid dicetis? B. Mira promittis, *Naugeri*: sed cur dictum est, *quatenus quisque scribit?* N. Idcirco, o *Bardulo*, adjectum est, quia duo quum sint in sermone, cognitio, & peritia rerum, de quibus dicitur, & dicendi modus, ego quidem nunc non comparo Poëtam aliis circa peritiam rerum, de quibus dicitur: sed comparo genus dicendi solum, ac dico, genus dicendi utilissimum omnium esse, & maxime prodesse: quin & plura docere, & pulchriora, & meliora. B. Age igitur, *Naugeri*, singula aggredere: ac rem, ut promittis, ostende. N. Enitar quidem, ac me etiam ita facturum spero. Duo igitur praedicta quum circa sermonem versentur, primum de modo ipso dicendi loquamur, mox de rebus dicemus. ac certe, si verum est, quod diximus, Poëtam circa simpliciter pulchrum versari sermonem, hinc primum apparere potest, cujus utilitatis sit Poëtarum sermo, quatenus sermo est: in ipso enim est nosse excellentias omnes, pulchritudines omnes in omni orationis parte. quoniam autem, qui rectum, & pulchrum noscit, simul &, quod obliquum, & turpe est, noscat necesse est, imo judi-

care

care posse omnes alios sermones, quantum a summo distent. si igitur magnum quiddam, atque optabile est sermo, per quem a caeteris animalibus homo differt, & inter homines alter ab altero; magnam certe utilitatem consecutus est, qui excellentias, elegantias, & pulchritudines sermonis novit: adde, quod, qui Poëta est, parvo negotio omne aliud dicendi genus assequi potest: non ita alii, quod Poëtae est. nunc ad res veniamus, in quibus dictum est, sicut in modo dicendi, ita & in iis Poëtam pulchritudinem, & excellentiam nullam, quae attribui rebus possit, praetermittere. si igitur ea imitetur, quae ad voluntatem attinent, quod prudentiam, ac virtutes alias facere possunt, incomparabilis profecto utilitas est, quam praestat haec imitatio, & repraesentatio. exempla enim, & ea, quae in re videmus, multo prudentiores, & longe practicos magis nos faciunt, quam, quae docemur. nihil autem refert sive Imperatorem sic & sic consulere pro victoria videamus, sive inducatur a Poëta. atque ita de aliis dicatur. quoniam igitur maxima in unoquoque, & pulcherrima sectatur, hinc fit, ut plura in iis, quae ad prudentiam, & alias virtutes pertinent, demonstret genus dicendi Poëtarum. Propter eamdem caussam, & si ea imitetur, quae ad intellectum attinent, plura quoque docet: quoniam pulchritudinem nullam omittit, quae attribui rebus possit: quum alii omnes in angusto valde versentur, utpote qui non omnes, sed quasdam solum pulchritudines sectentur: cujus signum esse potest, quod, qui *Trojanum* excidium nuda, & restricta oratione scripsere, brevi volumine totam Histo-

Historiam complexi sunt: *Homerus* autem *Iliadem* conflavit. & *Varro, Catoque* paucissimis chartis praecepta rei rusticae explicuere: *Maro* vero *Georgica* condidit. quare longe plura sunt, quae docent Poëtae, quam quivis alius, propter dictam a nobis caussam. B. At vide, *Naugeri*, quo pacto plura dicas a Poëta doceri. plura enim fortasse dicis, ea etiam accipiendo, quae extra rem sunt; quam video fabulam a quibusdam dici: quantum vero ad propriam cognitionem ejus rei, quae docetur, nescio, quomodo plura a Poëta tradantur: praesertim quum supra dictum sit, multa a Poëta ex intento rejici: quod & in *Virgilio*, & aliis est videre; qui paucissima quidem, quantum ad rem ipsam attinet, prosequuntur, multa alia adjicientes ad ornatum: sicuti & pictores faciunt, qui ubi, quod primo intendunt, pinxere, aut hominem, aut equum, aut aliud, tum lacus, & montes, & viridaria circumpingunt, & addunt ad ornamentum. N. Negare quidem non debemus, multa a Poëta rejici ex intento, ea scilicet, quae aut turpia sunt, aut tractata (ut diximus) nitescere non possunt: verum si iis, quae rejiciuntur, ea comparentur, quae adduntur ab ipso, longe plura haec sunt; quare plura omnino Poëta docet, quam quivis alius. Quod vero addita illa sint extra rem, considerare oportet, *Bardulo*, quid tu intelligas extra rem esse. si enim extra rem intelligas ea, quae extra singulare, & nudam rem superadduntur, profecto sic etiam sat erit plebejo sermone uti ad explicandas res. reliquae enim elegantiae necessariae non sunt. similiter & domibus, si columnae addantur, si peristylia, & alia, extra rem

erunt.

erunt. sufficit enim pro fine domus, quae ab imbribus, & frigoribus nos defendat, simplex domus. at vero, si res ipsas consideremus tales, quales esse deceret, & quantum ad perfectionem spectat, illa quidem addita non solum extra rem non erunt, sed essentialia, & necessaria. an debemus putare nobilium vestes extra rem esse, quum sufficiant rusticanae? nonne vides, sicut in iis, quae a natura sunt, sua est perfectio, & decor, ita & in iis esse, quae ab arte sunt? quam perfectionem, & decorem soli magni artifices norunt: quae si a rebus auferas, profecto animam quodammodo propriam iis abstulisti. quare quae & pictores, & Poëtae rebus addunt ad perfectionem, non extra rem sunt, si rem consideres non nudam (uti plebeji artifices, aut, qui sine aliquo coërciti & astricti sunt, faciunt) sed perfectam, & animatam, qualem considerant summi artifices, praecipue autem ex omnibus Poëta, qui admirandus in omnibus esse vult. si ergo illa rebus attributa perfectionem, & nobilitatem rerum ostendunt, nonne utilitas magna quidem, & exoptanda a cunctis censeri debet? quapropter, ut ad rem nostram revertamur, manifestum esse potest, quod primum promisi monstrare, plura a Poëta doceri, quam a quovis alio eorum, qui scribunt. Sequitur, ut jam & illud monstremus, pulchriora esse, quae a Poëta docentur. quod quidem arbitror a te sine multa difficultate concedendum. si quidem dictum est, alios sermonem secundum aliquid tantum, & in parte pulchrum affectare: Poëtam vero simpliciter pulchrum: dico autem pulchrum, & quantum ad res, & quantum ad dicendi modum. si quid tamen & in

hoc

hoc dubitas, audacter proferto. B. Equidem non satis scio, *Naugeri*, an ita facile tibi concedam, pulchriora esse, quae Poëta imitatur, & sumit: quando illa, quae tu pulchra vocas, praecipue illa sunt, quae a Poëtis superadduntur, quae & fabulae dicuntur. omnia quidem partim efficta, partim etiam falsa, & supra veritatem. nam quod multa effingant Poëtae, quae nullo pacto sunt, tute etiam dixisti. quod vero & aperte falsa, & impudenter quidem assumant, manifestum esse potest in iis, quae de *Aenea*, & *Didone Virgilius* scribit: quos constat multo tempore discretos fuisse: quae omnia quum falsa sint, ego quidem non video, quomodo pulchra esse possunt. falsum enim omne turpe est, quum ex iis constet, quae non sunt: quare & nulla utilitas esse videtur in addiscendo falsa. Ignosces tamen mihi, *Naugeri*, si pervicacior aliquantisper sim in tuum Poëtam. N. Damnat nimirum pervicaciam *Socrates* inter amicos; eamdem tamen tolerat, quum gratia veritatis inquirendae committitur: quare non venia, *Bardulo*, sed commendatione magis dignus es, qui tam naviter pro inquirenda veritate contendas. Duo autem videris objicere in Poëtas, *Bardulo*, alterum, quod multa effingant, alterum, quod & aperte falsa assumant. Utrumque autem quum ex iis constet, quae non sunt, pulchrum esse non potest. primum autem de iis, quae effinguntur, dicamus: in quo illud in primis sciendum est, neque omnia effingi decere, neque ab omnibus. In universum autem nihil effingendum est, aut assumendum ab eo, qui Poëta dici meretur, quod aperte a veritate alienum sit: quemadmodum video a nonnullis fieri,

fieri, qui & flumina ſiccari amantium incendiis ſcribunt, & naves ſuſpiriis pelli, & ſimilia. omnia vero, quae effingi licet, aut talia per apparentiam ſunt, aut ſignificatione, & allegoriis talia, aut ſecundum opiniones hominum, vel omnium, vel multorum: alia talia ſunt ſecundum univerſale ipſum, & ideam ſimpliciter pulchram, non ſecundum ſingulare. per apparentiam quidem ſunt, ut illud:

Ter caelum illiſum, & rorantia vidimus aſtra.

ſignificatione vero, & allegoriis, ut fabulae, praeſertim antiquae, quarum aliae myſteria quaedam ſacrificiorum, & religionum ſignificant, quaedam naturas reconditas rerum, quas non ab omnibus intelligi voluere: aliae notant Hiſtorias quaſdam regum, & eorum vitia, aut virtutes. transformari vero figuras, antiqua opinio fuit: lucos eſſe ſanctos, tutelam fluminum, & fontium eſſe Deos quoſdam, quoſdam habere noſtri curam, ut *Lares*, & *Penates*: *Panes*, & *Satyros* fuiſſe, & *Silvanos*, non praeter opinionem mortalium fuit: Deos cum hominibus converſari, cum iis loqui, quoſdam & cum mulieribus coïre, receptum fuit: eadem exiſtimatio de oraculis, de auſpiciis habita. atque haec fere, & ſimilia ſunt, quae a Poëtis finguntur. quae vero adduntur ſupra ſingulare, omnia a natura rei trahuntur, aut per tranſſumtionem, aut per epitheta, aut per alia, quae ad ſimplicem naturam attinent, attributa a cauſſis, ab effectibus, & ejuſmodi aliis convenientiis.

Falſum igitur nullum horum dici debet: falſum enim eſt, quod nullo modo eſt. haec autem aliquo modo ſunt, aut per apparentiam, aut per ſignificationem, aut ſecundum opiniones hominum, aut ſe-

ſecundum univerſale: quare nec mendaces Poëtas dicere aequum eſt, quippe qui, ut nomen quoque indicat, perfectores ſunt magis.

De iis vero, quae aperte falſa dicebas, ut de *Didone*, & *Aenea*, ſcire debes, a Poëta numquam aſſumi aperte, & vulgo falſa: ſed ſi qua forte aſſumuntur, omnia ejuſmodi ſunt, ut non facile confutari poſſint: ſed ſunt aut longa temporis intercapedine oblita, aut valde obſcura, aut valde externa, & longinqua; prout de *Rolando* heroë *Ludovicus Areoſtus Etruſcis* numeris eleganter cecinit. ea vero, quae & viventes, & propinqui poſſunt aperte redarguere, & falſa judicare, nemo quidem, qui vere Poëta ſit, umquam aſſumet: mendacium enim omne turpe eſt, & admirationem amittit. quare ne deinceps dicito, falſa a Poëta aſſumi. jamque quando & plura, & pulchriora monſtravimus docere Poëtam, quod poſtremo ſupereſt, oſtendamus, meliora etiam eſſe, quae ſcribit: meliora autem voco, quae quum perfectiora ſint, ſunt etiam nobis cara magis & grata.

Quod autem perfectiora ſint, demonſtratione non indiget, quando monſtratum eſt, Poëtam circa ſimpliciter pulchra, & maxima verſari: cariora vero nobis & accepta magis eſſe, hoc uno exemplo doceri poteſt. ſi enim Philoſophus quiſpiam nos erudiens ſimplici oratione doceat, mentem quamdam eſſe per omnia diffuſam, adamabo quidem rem iſtanc, utpote rem magnam edoctus. at vero, ſi idem ille Poëtico modo eamdem mihi rem referat, & declaret:

Principio caelum, ac terras, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunae, Titaniaque *aſtra*

Spi-

Spiritus intus alit : totamque infusa per artus
Mens agitat molem , & magno se corpore miscet.

Si, inquam, eamdem rem hoc pacto referat mihi, non adamabo solum, sed admirabor : & divinum nescio quid in animum mihi immissum existimabo. quam ob rem, o amici, si Poëta plura docet, si pulchriora, si cara magis, non est arbitrandum ita esse, ut paulo ante ajebas, *Bardulo*, musicum quidem, & divinum cantum edere, utilem autem ad nihil: quando incredibilis, & incomparabilis est ea utilitas, quam Poëtae afferunt, si recte intelligantur. quinimo & hoc aliud addam, *Bardulo*, quod Diis testibus silvae hujus affirmo, sancioque; nulli si forent Poëtae, non habere mundi pulchritudines, qui eas nossent: quod quibusdam nationibus accidit, ubi Poëtae non sunt, neque etiam elegantiae, urbanitatesve ullae, nec pulchrum quidquam. Dico autem Poëtam nunc non solum, qui scribit, & numeros condit, sed & illum, qui natura Poëta est, tametsi nihil scribat. est autem ille natura Poëta, qui aptus est veris rerum pulchritudinibus capi, moverique, & (si quando loqui accidit) per illas loqui, & scribere potest. pulchritudinum vero aliae verae sunt, aliae apparent. Poëta autem est, qui veris movetur. sunt & artificum omnium alii Poëtae natura, alii non : Poëtae quidem, qui, ad ideam proprii artificii respicientes, nullam pulchritudinem praetermittere volunt. ad propositum ergo revertendo, si navifactor ille, *Bardulo*, magister & dominus, quem supra dicebas, ubi ingentem illam, & pulcherrimam navim construxisset, ac talem pariter constituisset, ut simul etiam valde utilis fo-

ret, nonne praeter pulchritudinem admiranda quoque videretur, & magnopere desideranda, quod adeo utilis foret? B. Omnino. N. Ergo & Poëtam, quod primum de omnibus rebus scribat, deinde non tantum ipsas, sed & omnes earum pulchritudines prosequatur, & doceat, doceat autem tam divino, tam admirando dicendi modo, quis non veneretur, & veluti Deum quemdam existimet? adibit autem illum & qui res rusticas nosse volet, & qui res naturae, & qui vitae erudimenta, & alii, si de his Poëta scripserit: verum non illi adibunt, qui nudas, & quodammodo rudes novisse res volent, sed qui perfectas, & pulchritudinibus suis ornatas quasi viventes spectare studuerint: quare non ita est, *Bardulo*, ut supra ajebas, Poëtam, tamquam bellarium quoddam, ad voluptatem solam vocari: nec superfluum quiddam molitum putare debes *Virgilium*, quod de eadem re scripserit, de qua & *Cato*, & *Varro*, & alii prius commentaria ediderant. non enim propter hoc abstinuisse Poëtam decuit: sed & sibi scribendum fuit, ne earum rerum pulchritudines, quae tot relictae ab aliis fuerant, perpetuo in tenebris jacerent. Videbatur his dictis *Naugerius* intermissionem orationi facturus: quum *Bardulo*, Magnifice, inquit, *Naugeri*, pro Poëta navatum est: & certe bene peracta mihi videretur dies, si umbrae pauxillum nescio quid, quod adhuc reliquum est, de animo mihi levaveris. Quidnam illud est? respondit *Naugerius*. & ille, Dicam, inquit. nam, per Deos, quid caussae est, quid injuriae, si divinus, si admirandus, si & adeo utilis Poëta est, cur tamen *Plato* & justus quidem, &

Poë-

Poëtarum etiam amicus, *sua* a *Republica* Poëtam arcet, neque ullo commercio sibi conjungi sinit? Cui subridens *Naugerius* inquit, Bene abs te factum, *Bardulo*, nunc est, qui haec in medium induxeris: numquam enim hodie contentus recessisset Poëta a nobis, nisi postremo expurgatus & hac macula abiisset. non sum nescius, *Platonem* nolle ad magnam illam, & admirabilem *Rempublicam suam* Poëtam accedere, sed jubere, ut ad alias civitates se transferat. quam rem quum mecum ipse considero, tria potissimum mihi illa videntur, quae objicit in Poëtas *Plato*. Primum quidem, quod, quum sit imitator Poëta, illas ignoret res, de quibus dicit. etsi enim magnifice loqui potest, & omnia miranda facere, res tamen nescit: quoniam imitationis natura est, ut illa nesciat, quae imitatur. quippe tres sunt ideae rerum, una in eo, qui fines noscit, & res ordinat ad finem: ut Musicus, qui citharam ordinat, & finem noscit, cur talem ordinet: alia idea est in eo, qui facere quidem res scit, finem autem non noscit: ut faber lignarius. tertia in eo est, qui imitatur, qui nec facere quidem scit, nec finem novit, ut Poëta, & pictor. Secundum vero, quod *Plato* objicit, illud est, quod imitatio semper in pejora prolabitur. unde & tertium enascitur, quod Poëtae saepissime indecentia scribant, & secus Diis, & Heroïbus tribuant, ac par est. Justum igitur, o amici, videtur, ut de his rationem diligenter habeamus; quoniam & ipse *Plato* Poëtarum amicos rogat, ut ipsos defendant. nos quidem Poëtae non sumus, sed Poëtarum amici. quare nostrum esse ducimus amicorum partes tueri. In primis igitur

quum

quum *Plato* dicit, nescire Poëtas res, de quibus scribunt tam magnifice, si quidem dicit nescire, quatenus Poëtae sunt, & periti dicendi, verum profecto dicit: si vero omnino nescire dicit, verum quidem non astruit. diximus enim, oportere non solum Poëtam, sed quicumque rem ullam docent, illam novisse. nihil autem refert, an nesciat, quatenus dicendi peritus: nam neque Philosophus ipse, quatenus dicendi peritus, scit res naturae, sed quatenus res illas edoctus: nec qui Historias eloquenter scribit, quatenus eloquens scit ea, quae scribit, sed quatenus ea doctus. igitur & Poëta, si de re rustica, aut de natura scribat, quatenus quidem Poëta, & dicendi peritus, res illas nescit: scit autem, quatenus ea edoctus. scire autem necesse est, si quidem docere vult: nec scire tantum necesse est, sed exactissime scire: alioqui pulchritudines, & perfectiones earum rerum numquam deligere poterit. quod si & ipsum *Platonem*, dum dialogizat, & tam eloquenter loquitur, percunctemur, an & ipse sciat, quae scribat: atque equidem, se scire, arbitror responsurum. si vero rursus percunctemur, utrum sciat, quatenus Orator tantus, & eloquentiae peritus; minime quidem puto dicturum, sed quatenus Philosophus: oportere autem docentem illa scire, & a Philosopho didicisse. ita ergo & nos de Poëta dicemus, nescire quidem, quatenus Poëta est, & imitator, oportere autem scire, quae scribit, & a Philosopho didicisse, aut alio. scit igitur inquantum Philosophus: bene scribit inquantum Poëta. ac per haec satisfactum *Platoni* puto: quoniam partim verum dicit, nescire Poëtam, quae scribit, quatenus Poëta est,

partim

partim non verum, ſi omnino neſcire putat: ſcit enim inquantum Philoſophi res edoctus, aut geſta hominum; aut alia, quae docet. Quod autem imitationis natura ſemper in pejora prolabatur, hoc quidem dicemus accidere non artis vitio, ſed eorum, qui arte abutuntur. nam certe verum eſt a multis Poëtarum turpia multa, & indecentia ſcribi: quos jure non ſolum a *Republica ſua* arcendos *Plato* cenſet, ſed ab omnibus arceri aequum eſt. ſi igitur *Platoni* auferendus videtur *Achilles* ejulans in litore maris, pugnis ſe caedens, & barbam evellens: ſi & *Jupiter* prae impatientia exſpectandi ſibi tractans virilia: & nos quidem auferendos clamabimus. At *Aeneam* ſpem vultu ſimulantem, corde autem altum dolorem prementem; neque ipſe, ut opinor, *Plato*, neque nos auferendum dicemus. In univerſum autem, ſi omnes *Comicos*, omnes *Tragicos* excludi a *ſua Republica* volet *Plato*, & nos benefactum dicemus in ea Republica, in qua fortaſſe neque Philoſophos curabit eſſe, contemplationi, & otio nimis deditos. hos autem mittemus ad eas Reſpublicas, quas *Ariſtoteles* inſtituerit.

Haec ſunt, o amici, quae de Poëta ipſo, & Poëtae officio, ac fine dicenda nobis vobis viſa ſunt pro conceſſo nobis tempore: quorum omnium ſi per brevem definitionem volumus epilogum facere, omneſque fines ejus comprehendere, tam illum, gratia cujus movetur, quam, quo exſequitur eum finem, & quo ab aliis omnibus differt, dicemus, *Poëtae finem eſſe delectare, & prodeſſe, imitando in unoquoque maxima, & pulcherrima per genus dicendi ſimpliciter pulchrum ex convenientibus*. verum ex his univer-

verſalem quamdam fortaſſe ideam Poëtae videre datur, ipſum autem exacte introſpicere non conceditur; niſi & membra ejus expreſſa ſingula demonſtrarentur. quapropter ad praedicta reliquum eſſet circa ſingulas orationis partes oſtendere, quae ipſe ſibi propria faciat, & quibus ab aliis differat: primo circa voces ſimplices, tum circa earum texturas, & figuras, & muſicas: & quomodo ipſe aliter narret, aliter deſcribat, aliter continuet, aliter digrediatur, aliter diſponat, & loca accipiat, & dicendorum fines exſequatur, & quomodo imitetur, quae rejiciat, quae recipiat; & alia ejus generis multa, quibus una dies integra non eſſet ſatis. Tempus eſt diem claudere, & jubere Poëtam valere.

FINIS OPERUM LATINORUM.

LE COSE VOLGARI

DI MESSER

ANDREA NAVAGERO

GENTILUOMO VENEZIANO;

E PRIMA

LE RIME

TRATTE DA DIVERSE RACCOLTE:

CON LE TRADUZIONI, E PARAFRASI

D'alcuni Epigrammi Latini del medesimo, fatte da varj Illustri Poeti.

RIME

DI MESSER

ANDREA NAVAGERO

GENTILUOMO VENEZIANO.

I.

BEGLI occhi, ove *Amor* regna, ed onde tira
Mille ſtralì pungenti nel mio petto,
Fia mai, che dimoſtriate un dolce affetto
Al cor mio fido, che per voi ſoſpira?
Chiari ſpecchi, ne' quai ſi ſcorge e mira
Di queſta noſtra età l'onor perfetto,
Quando verrà, che lieto il meſto aſpetto
Miri in voi chi per voi *Amor* martira?
Serene ſtelle, a cui ſovente ſole
Volgerſi la mia ſtanca navicella,
Verrà mai di condurla in porto l'ora?
Almi Soli più chiari aſſai che 'l Sole;
La voſtra luce oltra le belle bella
Deh lucerà per me prima ch'io mora?

II.

NE per disdegni mai, ne per vostr'ire
Fia, che si spogli il cor di quella spene,
Onde mai sempre *Amore* armato il tiene
Alla difesa del mio bel desire.
Ne per vaghezza dell'altrui martire,
Che 'n voi si sia, sarà, che le mie pene
Non sian più dolci che d'ogni altro il bene,
Quantunque e notte, e dì pianga, e sospire.
Ch'io dico fra me stesso lagrimando,
Qualor vi scorgo più sdegnosa e fera
Prender del mio martir dolce conforto:
O pria ch'io mora, o poi ch'io sarò morto
Pur verrà il dì che dolce sospirando
Mi darà pace questa mia guerrera.

III.

SONNO, che all'affannate, e stanche menti
D'ogni fatica lor riposo sei,
Deh moviti a pietà de' dolor miei;
E porgi qualche pace a' miei tormenti.
Lasso, le notti mie son sì dolenti,
Che quando più riposo aver devrei,
Allor più piango, e mi doglio di lei,
Che sprezza gli angosciosi miei lamenti.
Tu ch'acqueti ogni pena acerba e rea,
Vien, *Sonno*, ad acquetar i miei martiri;
E vinci quel ch'ogni altro vince, *Amore*.
Così sempre sian lieti i tuoi desiri;
E il sen della tua bella *Pasitea*
Sempre spiri d'ambrosia un dolce odore.

IV.

IV.

GIA' delle fiere *Eumenide* cingea
La negra Madre il mondo; e quel che vinse
L'accorto *Palinuro*, e 'n mar lo spinse,
Queto, e 'n riposo ogni animal tenea:
Quando la Madre del pietoso *Enea*
Con l'alma Diva mia lieto m'avvinse:
E con l'umido manto ambedue cinse
Già de' *Trojani* la nemica Dea.
Lieta n'accolse in dure, e fredde piume
L'antica Madre; e l' invisibil squadre
D' *Eolo* sen givan mormorando intorno.
La Sorella del Sol ne facea lume;
Questo ammorzò di *Mennone* la Madre;
E ratto venne a dipartirci il giorno.

V.

VERAMENTE non mai temprato Sole,
Non notturna rugiada, umida terra
Tanto nudriscon tenerella pianta,
Quanto me, Donna, vostra luce santa;
Ne perchè ad aspra guerra
Indi lo sfidi *Amore*, il cor mio vuole
Ritrarsi, o dimandar pur tregua, o pace;
Cotanto l'esser vinto ivi li piace.
Non ha vertù in alcun lucido specchio,
In chiaro fonte, ovver vivo cristallo,
Che rappresenti ciò che se gli appressa
Con somiglianza della forma espressa,
Quanto che, s' io non fallo,
Dimostra vera in me il pensier già vecchio

L'im-

L'immagin voſtra, ch'ivi impreſſe *Amore*,
Quando mi venne da' voſtr'occhi al core.
Quanto d'ogni altro cibo altri ſi paſce,
Io di queſto alto, e degno mio penſiero;
E tanto in vita meglio mi mantiene,
Quanto è il divin maggior del terren bene.
Queſti mi ha moſtro il vero
Cammin di gire al fin per cui ſi naſce;
Ond'io ringrazio *Amore*, e voi, Madonna,
Che ſiete a ogni mio ben ſalda colonna.

VI.

DONNA, de' bei voſtr'occhi i vivi rai,
Che nel cor mi paſſaro,
Con lor ſubita luce *Amor* ſvegliaro,
Che ſi dormiva in mezzo del mio core.
Sveglioſſi *Amor*, che nel mio cor dormia,
E i bei raggi raccolſe,
E formonne una immagin sì gentile,
Che tutti i ſpirti miei ver lei rivolſe.
Queſta allor tanto umile
All'alma ſi moſtrò, sì dolce e pia,

Che,

---

* *Donna, ec.*] Di queſto Madriale forma un giudizio molto onorevole il Signor *Lodovico Antonio Muratori*, ſoggetto notiſſimo per la ſua dottrina. Ci piace di riferire le parole di queſt'uomo celebre, che ſi leggono nel libro 4. della ſua *Perfetta Poeſia Italiana* alla pag. 276. del ſecondo Volume: *Può contarſi* (dic'egli) *fra i più limpidi, e ben condotti Madriali. Qui ſenza faſto ſerve la Fantaſia a dipingere un bel Vero; e lo dipinge ella con sì vaghi, e naturali colori, che non può non ſentirne diletto chiunque ha delicatezza di guſto.*

Che, perchè voi mi siate acerba e ria,
Tanto è dolce la spene
Che dimora nel cor, che di mie pene,
E d'ogni dolor mio ringrazio *Amore*.

VII.

VERAMENTE, Madonna, in me l'ardore
Tanto non è, quanta bellezza in voi;
Ch'uom viver non potrebbe a tanta doglia.
Ben è quanto in amante esser mai soglia.
Ne perchè tutti i suoi
Pungenti strali in me spendesse *Amore*,
Potriami punto accrescer di martire;
Che giunto son a quel ch'uom può patire.
Non ha stella nel ciel, che dimostrarsi
Possa sì chiara mai, ch'al Sol sia eguale:
Anzi tanto fiammeggia, e tanto luce,
Quanto ei le dà, che fonte è d'ogni luce.
Così beltà mortale,
Donna, non è ch'a voi possa agguagliarsi:
Anzi bello fra noi sol quel s'apprezza,
Che parte tien della vostra bellezza.
Tanto, e più bella ancor, Madonna mia,
Siete; ne dir di voi si puote appieno.
Io dalla mia natura non ho avuto
Maggior poter ch'a mortal sia devuto.
Onde s'io v'amo meno
Ch'a vostra tanta altezza converria,
Egli è, che mia virtù tanto vincete,
Quanto più bella d'ogni bella siete.

VIII.

VIII.

LEGGIADRE Donne, che quella bellezza
Che Natura vi diede
(Come ben si richiede)
Disiderate ornar di gentilezza;
Se 'l chiuso vostro cor non s'apre pria
Tanto che v'entri 'l bel raggio *d'Amore*,
Da cui vien tal valore;
E' non avrà giammai quel che desia.
Come tutto col dì si mostra fuora
Quel che l'ombrosa Notte ricopria:
E ove luce non sia,
Non si puote veder alcun colore:
Così in quel che non ave *Amor* nel core
Virtù mai non si vede:
E sempre ov' *Amor* siede,
Ogni valor si trova, ogni adornezza.

IX.

FIAMMA amorosa, e bella,
Che da' begli occhi della Donna mia
Con le sue man nel cor m'accese *Amore*;
Quanto ringrazio 'l ciel, e la mia stella,
Che in sorte dato m'han sì dolce ardore!
Quanto *Amor*, che t'aperse al cor la via!
Ch'io sia senza il tuo ardor giammai non fia;
Che ciò ne posso, ne poter vorrei.
Tu sempre arder mi dei;
Ch'ancor che 'l corpo sia caduco e frale,
Tu, ch'in Alma ch'è eterna accesa sei,
Sarai, com'ella, eterna ed immortale.

X.

X.

SE ſempre ha da durar voſtra beltate,
Perchè, Donna gentil, sì avara ſiete
Di quel ch'eterno poſſeder devete?
E ſe queſta fiorita e verde etate
E' come in bel giardin tenero fiore,
Che il mattino all'aprirſi d'Oriente
Tutto vermiglio, e pieno di vigore,
Ogni erbetta ch'è intorno rider face;
Languido e ſecco poi la ſera giace,
E perde il vago ſuo dolce colore.
Perchè lieta e giojoſa non godete,
Prima che ſian voſtre bellezze ſpente,
Quel che deve perir sì agevolmente?

XI.

ARBITRO eletto ſiedi,
Amor, che 'l tutto vedi:
A coſtei cheggio 'l merto di mia fede.
Ella mi nega 'l vero;
Ne ſo come provarlo;
Che 'l mio cor, ov'è ſcritto, è in mano a lei:
Ne

Nella tavola del ſecondo libro delle *Rime* di diverſi nobili *Poeti Toſcani* raccolte da *M. Dionigi Atanagi*, e ſtampate in *Venezia* per *Lodovico Avvanzo*. 1565. in 8. dove s'addita il *Sonetto* di *M. Domenico Veniero*, che qui ſotto adduciamo, e ſi trova a carte 8. del ſuddetto libro, leggonſi queſte parole: *E' coſa non men bella, che maraviglioſa, il vedere, come i nobili ingegni, ſenza l'uno ſaper dell'altro, s'affrontino alcuna volta nelle invenzioni, e diano ne' medeſimi concetti, e penſieri. In queſto libro a carte 15. b. è un Madriale di* M. Andrea Navagero, *Poeta, ed Oratore illuſtre, nel*

Nn ſog-

Ne posso indi ritrarlo,
Ch'apertamente certo il mostrerei.
Così contra 'l dever tien mia mercede.
Ma s'io non fui, come conviensi, scaltro;
Se sei giusto, e sincero;
Scopri 'l ver tu, che l'un conosci e l'altro.
Io, che somma ragion di ciò pretendo,
Arditamente il tuo giudicio attendo.
Tu taci, e sai c'hà 'l torto: ond'io comprendo,
Ch'offender temi l'alta sua presenza;
Di che sei muto, e a mie risposte sordo.
Ma se non per sentenza,
Procura almen, Signor, tra noi l'accordo.

Per

---

soggetto istesso di questo Sonetto; e nondimeno il Magnifico Veniero *afferma con giuramento, non aver mai avuta notizia del Madriale, se non quando l'*Atanagio *glie le disse: che fu da poi molti anni, che egli avea composto il Sonetto.*

Sonetto di M. Domenico Veniero.

Fatto nel loco, ove tien corte Amore,
Citar Madonna, e' nanzi a lui comparso,
Cheggio del pianto, e de' sospir c'ho sparso,
Tal guiderdon, ch'appaghe il mio dolore.
Fede non fu d'amante unqua maggiore,
Ne simil certo: e 'l cor piagato, ed arso
Non fora punto a darne indizj scarso,
Ciò che dentro in se chiude aprendo fore:
Ma non è meco: e se mi nega il merto;
Costei, che l'ave, or l'appresenti: e questi
Fia del ver prova, e testimonio aperto.
Indi ne segua omai sentenza; e presti
Favor al dritto il buon giudice esperto:
Od ella meco almen d'accordo resti.

PEr non tralasciare alcuna cosa, che possa in qualsivoglia maniera far conoscere l'ingegno, e la piacevolezza del *Navagero*, porremo qui alcuni versi giocosi, che a lui vennero attribuiti in que' tempi; con la testimonianza di *M. Lodovico Dolce* nel *Dialogo de' Colori*, stampato in *Venezia* per li *Sessa*. 1565. in 8. a carte 66. e 67. dove uno degl' Interlocutori, di nome *Cornelio*, così parla: *E tra le stanze* Perugine *ho io già udito cantare a* Giuliano *di* Marc'Antonio d'Urbino *questa molto ingegnosa, e piacevole:*

XII.

UDito ho dir, che gran virtù si trova
Nelle parole, nell'erbe, e ne' sassi.
Provato ho le parole, e non mi giova,
Perduto ho le parole, il tempo, e i passi.
Deliberat' io son di far la prova
D'un'insalata, quando tu ci passi.
Se non mi gioverà questa insalata,
Io giuro a Dio di darti una sassata.

Mario: *Ho udito dire, che questo fu componimento del* Navagero, *il quale, comecchè fosse tutto intento a i versi* Latini, *ne i quali* (*come ne fanno fede quei pochi* Epigrammi, Elegie, *ed* Egloghe, *che sono in istampa*) *riuscì mirabilissimo, fece alle volte qualche verso volgare, trovando invenzioni stupendissime, ec.*

TRADUZIONI, E PARAFRASI
D' ALCUNI EPIGRAMMI LATINI
DEL NAVAGERO.

LE ſeguenti cinque prime *Traduzioni* d'alcuni *Epigrammi* del *Navagero*, non mai per l'addietro date in luce (per quanto ſi ſappia) ſtanno ſcritte nel margine d'un libro del ſuddetto Autore, ſtampato in *Venezia* l'anno 1534. in foglio, eſiſtente appreſſo di noi; di mano del famoſo Poeta *Pietro Angelio Bargeo*, come ne fa piena fede l'eruditiſſimo Signor *Appoſtolo Zeno*, che in tal genere di notizie ha pochi pari. E' coſa molto veriſimile, che tali componimenti ſien parti di chi gli ſcriſſe; non eſſendo il mentovato *Pietro Angelio* men pulito, e dilicato Poeta volgare, che Latino; come appare dalle ſue *Rime* impreſſe con quelle di *Mario Colonna* in *Firenze* l'anno 1589. in 8. per il *Sermartelli*. Laſciamo però formarne il giudizio, o per dir meglio la congettura, alle perſone più dotte di noi, che a tal ricerca voleſſero darſi.

I.

Dall'Epigramma del Navagero, che comincia: Aurae, quae levibus percurritis aëra pennis, &c. *che ſi legge a carte* 186. *di queſta noſtra Edizione*.

AURE, che tra le frondi mormorate,
Queſto bel vaſo pieno
Di crochi, e d'amaranti,
Di narciſi, e criſanti
Alcon vi ſparge al Ciel caldo ſereno.
Voi temprate l'ardor volando intorno,
Mentr' egli * palla il grano a mezzo il giorno.

II.

* *avventa*, era notato di ſotto come per correzione.

II.

Dall'Epigramma, che comincia : Quod tulit optata tandem de Leucade Thyrsis, &c. *posto a carte* 187.

O Bella Madre de' lascivi *Amori*,
Queste rose or ti do, queste viole,
Che dell' arbore amato ho colti i fiori.
Ne più * oltre potei,
Perochè altri interruppe i piacer miei.
Ma s'unqua corrò il frutto, *Arabi* odori
L'altare, e un marmo avrà queste parole:
Tirsi a Venere dona se e l'armento;
Che l'ha del svo desio fatto contento.

III.

Dall'Epigramma, che comincia : Et quercum, & silvam hanc ante omnia Thyrsis amabit, &c. *posto a carte* 187.

E Questa quercia antica, e questo bosco
Sopra ogni cosa a *Tirsi* fie gradito,
Fin che potrà membrar, che 'l suo disire,
Fin de i disir, qui prima fu compito
Dopo lungo martire.

IV.

Dall'Epigramma, che comincia : Illi in amore pares, vicini cultor agelli, &c. *posto a carte* 190.

QUesti fior colti da noi poco avanti,
Bella corona alle tue sacre chiome,
O santa Dea di *Cipro*, noi duo amanti
Pari in amor a te doniamo; e come
Vivono eternamente gli amaranti,

Così

* *avanti*, stava scritto di sotto.

Così viva d'*Amore* il caro nome:
E come ſon legati inſieme i fiori,
Così legati ſiano i noſtri cori.

V.

Da' verſi del Navagero, che cominciano: Salve cura Deûm, mundi felicior ora, &c. *poſti a carte* 224.

O Gradito dal Cielo almo terreno,
E tu ſeggio d'*Amor* ripoſto, e fido,
Sii felice mai ſempre. O come lieto
Or ti riveggio, e nel fiorito ſeno
Mi getto laſſo, e in te mio dolce nido
Ripoſo il corpo ſtanco, e l'alma acqueto!
Qui teſſon fiori, e qui le *Ninfe* bionde
Bagnan le membra nelle gelid' onde.

TRE SONETTI

DI M. CLAUDIO TOLOMEI

TRATTI DAGLI EPIGRAMMI DEL NAVAGERO.

I.

Dall'Epigramma, che comincia: Illi in amore pares, vicini cultor agelli, &c. *poſto a carte* 190.

Quei congiunti d'amor *Iella*, e *Tirſi*,
Tirſi nella ſua verde età novella,
Come roſa vermiglia, e freſca *Iella*;
Che non potea più vaga coppia unirſi;
A *Citerea* così parlare udirſi:
Queſti amaranti a te, *Venere* bella,
Doniamo, e queſti gigli; onde d'ombrella,
O ghirlanda, il tuo crin poſſa coprirſi.

Co-

Come amaranti eterno, e come bianchi
Gigli fiorisca bianco il nostro amore,
Che 'n noi candido sempre, e immortal viva:
E come lega l'uno e l'altro fiore
Un filo sol, così tu, santa Diva,
Stringi d'un nodo noi, che mai non manchi.

II.

Dall'Epigramma, che comincia: Dispeream, nisi tu vita mihi carior ipsa, &c. *posto a carte* 211.

POss'io morir, se non mi sei più cara
Dell'alma, *Iella*, e de' proprj occhi miei:
Ma non esser ver me (che far nol dei)
Dell'alma tua, ne de' tuoi occhi avara.
Poss'io morir di mala morte amara,
S'io non son caro a te, come a me sei,
Più dell'alma tua dolce, e più di quei
Begli occhi, ov' esser dolce *Amore* impara.
Deh perchè non si trova un' altra cosa
Più dell'anima cara, e più degli occhi,
Che più cari saremmo ancor che quella?
O Dio fa, ch'una egual fiamma amorosa
Sì dolcemente i cori ad ambo tocchi,
Ch'ardan d'eterno amor *Tirsi*, ed *Iella*.

III.

Dall'Epigramma, che comincia: Nil tecum mihi jam, Phoebe, est, nil, Nox, mihi tecum, &c. *posto a carte* 216.

NUlla a far ho con voi, o *Giorno*, o *Notte*,
Che da voi non mi vien notte, ne giorno.
Esci pur, *Sol*, dall'Oriente adorno,
Esci, *Tenebra*, tu dalle tue grotte.

Quan-

Quanto a me, non ſon mai da voi condotte
Luci, ne bujo alle mie luci intorno:
Col partir ſol d'*Iella*, e col ritorno
Mi ſon or lumi, ed or tenebre addotte.
Che quante volte a me troppo ſdegnoſa
Torce da' miei que ſuoi begli occhi chiari,
A mezzo dì mi ſi fa notte dura.
Ma qualor co ſuoi giri oneſti, e cari
Gli rivolge ver me tutta amoroſa,
Veggio un bel giorno a mezza notte oſcura.

SONETTO DI LUIGI TANSILLO.

Tratto dall'Epigramma del Navagero, che comincia: Et gelidus fons eſt, & nulla ſalubrior unda, &c. *poſto a carte* 188.

E Freddo è il fonte, e chiare, e creſpe ha l'onde:
E molli erbe verdeggian d' ogn' intorno:
E 'l platano co i rami, e 'l ſalce, e l'orno
Scaccian *Febo*, che 'l crin talor ci aſconde:
E l'aura appena le più lievi fronde
Scuote, sì dolce ſpira al bel ſoggiorno:
Ed è 'l rapido Sol ſul mezzo giorno:
E verſan fiamme le campagne bionde.
Fermate ſovra l'umido ſmeraldo,
Vaghe *Ninfe*, i bei piè, ch'oltra ir non ponno;
Sì ſtanche, ed arſe al corſo, ed al Sol ſiete.
Darà riſtoro alla ſtanchezza il ſonno;
Verde ombra, ed aura refrigerio al caldo;
E le vive acque ſpegneran la ſete,

DUE

DUE SONETTI DI M. PIETRO BEMBO
IN MORTE DEL NAVAGERO.

NAVAGER *mio, ch'a Terra strana volto,*
Per giovar alla Patria il mondo lassi;
Te piango: e piangon meco i liti, i sassi,
E l'erbe; che per te crebber già molto.
Tu le palme Latine *hai di man tolto*
A i nostri tutte; con sì fermi passi
Salisti il Colle. or quando più vedrassi
Tanto valor in un petto raccolto?
Grave duol certo: pur io mi consolo;
Ch' or ti diporti con quell' Alme antiche,
Che tanto amasti: e teco è 'l buono, e saggio
Savorgnan, *che contese alle nemiche*
Schiere il suo monte; e fu d'alto coraggio;
E poco innanzi a te prese il suo volo.

ANIME, *tra cui spazia or la grand' Ombra*
Del dotto NAVAGER *per sorte acerba*
Di questo secol reo; che miete in erba
Tutti i suoi frutti, o li dispiega in ombra;
Qual gioja voi della sua vista ingombra,
Tal noi preme dolor, poi sì superba
E' stata Morte; *ch' i men degni serba,*
E del maggior valor prima ne sgombra.
Piacciavi dir, quando il nostro Emispero
Diede a gli Elisi *più sì chiaro spirto;*
Ed egli qual da voi riceve onore.
Raro dopo gli antichi: a questo Omero
Baciò la fronte, e cinsela di Mirto:
Virgilio *parte seco i passi, e l'ore.*

Oo VER-

VERSI
DI M. AGOSTINO BEVAZZANO
IN MORTE
DEL NAVAGERO.

D*EL Poetico onor un nuovo* Omero,
Pien di ſaper, ricco d'ogni bell'arte,
Poteva in tempo breve il NAVAGERO
Coprir d'obblio le più famoſe carte.
Lo Fato 'l tolſe, qui più che mai fiero;
Bench'è nel Ciel nella più chiara parte:
Onde ſi reſta in dubbio, ſe maggiore
Laſſaſſe a noi di ſe gloria, o dolore.

LET-

LETTERE
DI MESSER
ANDREA
NAVAGERO
GENTILUOMO VENEZIANO;

SCRITTE

DI SPAGNA
A MESSER

GIAMBATISTA RANNUSIO.

LETTERE

DI MESSER
ANDREA NAVAGERO
GENTILUOMO VENEZIANO.
A M. GIOVAMBATISTA RANNUSIO.

LETTERA PRIMA.

VI SCRISSI a' venti d'Aprile, s'io non m'inganno, di *Corsica* da *Calvi*; e quel dì ci partimmo per *Ispagna*, e con miglior fortuna, che non avevamo avuto fin allora, in quattro dì passammo a *Palamosa*, dove smontammo la vigilia di *San Marco*. Chi voleva andare a *Barcellona*, bisognava stare quella notte in mare, e forse tutto il dì, e notte seguente, per lo tempo contrario; per lo che trovandosi noi sopra *Palamosa*, giudicammo meglio lo smontar lì, e andare per terra a *Barcellona*; massime, che niuna cosa ci pareva più comoda, che essere presti ad abbracciar la terra, ed uscir del mare; e dire: *& nimio telluris amore Egressi optata potiuntur Troes arena*. E così facemmo: smontammo a *Palamosa*; il che però non potemmo fare senza qualche danno, perchè a me la notte innanzi, di trè cavalli, ch'io aveva imbarcati, ne morì uno, il migliore ch'io avessi; dapoi il morello, e la chinea. In *Palamosa* ci è convenuto tardar per quattro giorni, sì

per

